Quia votum obligare nequit cum majoris boni proprii, vel alterius impedimento.

45 Tertiò id certum eſt, quòd extra prædictos caſus impediens conſultò conditionis eventum, ne teneatur voto, peccat mortaliter contra votum. Quippe eo ipſo quòd promittit aliquid ſub conditione, cenſetur virtute duplex votum emittere; alterum conditionis non impediendæ, aut ſtandi voto; alterum rei principaliter promiſſæ. Ut promittens centum Titio, ſi ipſi opem tulerit, promittit virtute illa centum, & permittere ejus opem, aut illa ei dare perinde ac ſi opem tuliſſet. Atque hoc omnes fatentur, & præcipuè illi, quos *n.* 47. referemus dicentes, teneri hunc voto, perinde ac ſi conditio impleta eſſet. Quia cum intendat non implere votum obligans ſub mortali in caſu, in quo tenetur implere, peccabit mortaliter.

46 Difficultas tamen eò pertinet, an tunc teneatur voto, perinde ac ſi conditio impleta eſſet? *Major. in* 4. *diſt.* 38. *qu.* 1. *corollario* 7. quod infert ex prima propoſitione, dicit abſolutè votum hoc non obligare deficiente conditione. Ut ſi voueat quid ſub conditione, ſi impetret ſanitatem, & ob intemperantiam non obtineat; vel ſi præſervetur à peccato, & labatur in illud. Et poteſt probari, quia ex nulla ratione colligitur vouentem ſub conditione, voluiſſe ſe obligare illa quomodocumque non eueniente. Quippe ex eo, quòd virtute ſe obligarit ad non impediendam conditionem, ſequitur eam peccare in votum impediendo euentum, non tamen ſequitur ipſum manere obligatum ad rem ſub conditione promiſſam. Quòd ad eam non ſe obligauit, niſi conditione eueniente, & nondum evenit. Secundò quia votum alligatum tempori non obligat eo tranſacto, quamvis in voti fraudem præmittatur eo tempore. Ergo alligatum conditioni non obligabit ea deficiente, quamvis in voti fraudem impedita.

47 Prima tamen concluſio ſit. Extra prædictos caſus impediens conſultò conditionis euentum, ne voto teneatur, adſtringitur perinde voto, ac ſi conditio impleta eſſet. Ducor ex *regula, Cum non ſtat per eum* 66. *de regul. juris, in* 6. *& regula, In jure civili* 122. *ff. de regul. juris*; & meliùs ex *l. In executione* 85. *§. finali, ff. de verborum obligationibus*, ibi: *Quicumque ſub conditione obligatus curaverit, ne conditio exiſteret, conditionibus obligatur*. Ubi apertè dicitur hæc concluſio. Et ratio fundamentalis eſt: quoties apponitur conditio dependens ab aliis cauſis, ſive naturalibus, ſive liberis, quæ licitè impediri nequit, verus ejus conditionis ſenſus eſt; *ſi per alias cauſas mihi involuntarias non ſteterit, quominus hoc fiat, voueo talem rem*. Cum enim apposita ſit conditio ex natura rei non pendens ex vouentis voluntate, ſed contra eam poteſt accidere, aut impedire: verba obligationem in illius eventum imponentia, & dependenter ab aliarum cauſarum concurſu, cenſentur naturæ conditionis accommodari; & præſumitur virtualis vouentis intentio ea eſſe, dum de alia non conſtat, obligandi ſe ad id votum, niſi conditio ob alias cauſas defecerit. Quando ergo per alias cauſas ſtat, impletur conditio in vero, & formali ſenſu intento a vouente, quamvis in materiali deficiat. Et confirmatur, quia quoties de alia peculiari vouentis intentione non conſtat, verba ſunt accipienda juxta modum, quo ea jus intelligit; & ſtandum eſt in utroque foro præſumptione juris. Ut probavimus *lib.* 1. *hujus tractatus, c.* 10. *num.* 18. At jus in hoc eventu præſumit hanc intentionem in hujuſmodi obligatione, & verè reputari conditionem impletam. Ut ex jure proximè probavimus. Ergo dum non conſtat de alia voluntate, ita in utroque foro ſentiendum eſt. Secundò, quia ſi quis promittat Tito decem, ſi domum promittentis ingrediatur, nemo promittentem eximet ab obligatione ſtandi promiſſis, ſi Titio ingredi volenti fores domus claudat, ne ingrediatur. Tandem, quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent, *c. Adversùs, de immunit. Eccleſ.* Et ex his conſtat ſolutio rationum contrariæ ſententiæ, quas *num. præc.* retulimus. Nam ad primum dico ex dictis jam conſtare unde ea virtualis voluntas deducatur. Ad ſecundum fateor id votum eſſe alligatum conditioni, non materialiter ſumptæ, ſed formaliter, & propriè, ut virtute intenta eſt à vouente. Et hoc modo jam eam impletam eſſe probavimus. At votum eſt alligatum diei materiali, & ideò quomodocumque illa die materiali non impleatur, ceſſat omnino ejus obligatio. Et hanc ſententiam tenent loquentes de promiſſionibus humanis, *Gloſſa l. Si rem cibi* 19. *§. finali, verbo Victori, ff. de præſcriptis verb. Et ibi, Bartol. in fine; & idem Bartol. d. l. in executione, §. finali, in fine, & ibi Paulus num.* 2. *Imola in fine, Jaſon num.* 3. *Alciatus nu.* 3. *Decius ea regula in jure civili num.* 6. ubi dicunt promittentem alicui, ſi ipſum vicerit in ludo, quamvis non teneatur procurando ſe non vinci, eò quòd conditio hæc ſit ejus naturæ, ut licitè impediri valeat, ut diximus *nu.* 42. at teneri, ſi ob id ludere nolit; eò quòd ſtet per illum, quominus conditio ludi impleatur. Et in propriis voti terminis docent *Ricardus* 4. *diſt.* 38. *art.* 5. *q.* 3. *corpore, & ibi Supplementum Gabrielis q.* 1. *art.* 3. *concluſione* 2. *in fine, Angelus verbo Votum* 1. *num.* 10. *Sylveſt. verbo Votum* 2. *q.* 2. *dicto* 2. *Tabiena verbo Votum* 2. *q.* 2. *in initio, Navarr. ſumma c.* 12. *num.* 42. *& lib.* 3. *conſil. tit. de voto, in* 1. *editione, conſil.* 24. *num.* 2. *in* 2. *conſil.* 30. *num.* 2. *Palacios* 4. *d.* 38. *diſp.* 1. *poſt* 5. *concluſionem, fol.* 838. *column.* 1. *Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto, artic.* 2. *poſt* 17. *difficultatem, dubio* 8. *Azor. lib.* 11. *inſtit. moralium c.* 20. *q. ultima. Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtructorii, c.* 44. *column.* 2. *verſ. Qui vovit aliquid, Manuel* 2. *tomo ſumma c.* 98. *ad finem*.

48 Secunda concluſio. Similiter eſt dicendum teneri hunc voto, etſi non ex profeſſo impediat conditionem in voti fraudem; ſed ex gravi ſua negligentia ejus eventum impedit. Quòd adhuc verum ſit non impediri conditionem per alias cauſas: nec apponitur in ſtudium, quid in voto incluſum eſt; ne conditio deficiat. Et conſtabit magis ex corollariis hinc deducendis, & ex limitationibus ſtatim apponendis. Et hujus ſententiæ videntur *Ricardus, Supplementum Gabrielis, Angel. Sylveſt. Tabiena, Lud. Lop. Azor. Manuel num. præced.* allegati, ubi generaliter dicunt obligari voto eum, qui culpabiliter cauſa fuit, ne conditio impleretur. Atque magis in propriis terminis docent Auctores, quos *num.* 52. referemus in doctrina eorum *ibi* referenda.

49 Duplici tamen limitatione ſunt ambæ concluſiones intelligendæ. Prior eſt, ut intelligantur, quando conditio pendet ex unico actu, ſeu impeditur unico actu. Si enim non ex unico, ſed ex pluribus actibus pendeat, quamvis ſemel in voti fraudem impediatur, non illico obligat votum; ſed tunc dicendum eſt non ceſſare voti obligationem ob illum conditioni defectum, ſed perinde ſe habere, ac ſi conditio non defeciſſet. Verbi gratia, promiſit quis religionem, ſi Deus illum à tali peccato præſervaret, non illico ac ſemel, vel iterum, tentationes lapſus in illud victor evaſit, tenetur voto, ſed quando ita vincit, ut quaſi dominium illius tentationis in ſe experiatur. Ut diximus *num.* 34. Tunc autem deficiet conditio, quando ille vel ſemel lapſus eſt. Quia tunc verum dicere non eſſe eum præſervatum. Si ergo data opera labatur (non exprimo, quando ex gravi negligentia, quia in hoc exemplo eſt tunc peculiaris difficultas tractanda, *num.* 52. *&* 53.) ille lapſus non efficiet deficere conditionem, ut proinde ceſſet voti obligatio: ſed reputabitur in eodem ſtatu votum manere, pendens à conditionis eventu, ac ſi ille lapſus non eſſet. Sed tunc reputatur quaſi impleta conditio, eò quòd ille in fraudem impedierit, quando toties in voti fraudem labitur, ut jam omnino ſuccubuerit tentationi ita, ut illa quaſi dominium ejus habeat. Sicut è contra cenſeretur præſervatus, quando ita viciſſet, ut quaſi dominium illius tentationis haberet.

50 Hinc deducitur, vouentem religionem, ſi evaſerit doctus in tali facultate, quamvis ex profeſſo non vacaret litteris, ne voti obligatione adſtringeretur, non ſtatim manere obligatum voto: poſſet enim accidere, ut aliunde non ſit obligatus. Ut quia ea ingenii tarditate præditus eſt, aut ea inopia ſalutiſve defectu laborat, ut certum ſit conditionem non implendam, quamvis ipſe impleri curaret. Juxta dicta *num.* 28. Et dicemus quid in dubio *num.* 54. Sed eſto obligaretur adhuc voto, obligandus eſt, ut in litterarum ſtudium incumbat, ut doctus evadere poſſit. Quod intelligo, niſi acceſſerit tempus obligationis illius voti, quo præciſè tenebatur ex voto religionem capeſſere: ut quia promiſit ſe intra certum terminum ingreſſurum. Tunc enim cum conditio culpabiliter omiſſa cenſeantur impleta, tenebitur ſtatim ingredi. Et idem eſt dicendum, ſi notabili ſua negligentia non ſit impleta, quamvis non in fraudem. Juxta dicta *numero* 48.

51 Poſterior limitatio eſt. Ut intelligatur ſecunda concluſio, quando hic non adhibuit media ordinaria, & ſolita adhiberi ad obtinendum id, quod poſitum eſt ſub conditione; ad id enim cenſetur ſe virtute obligare. Secùs ſi culpa ſua extraordinaria, nec in fraudem impediat conditionis eventum. Verbi gratia, promiſit quis religionem, ſi pater ex morbo ad priſtinam ſalutem reſtituatur, vel ſi ipſemet vouens ſanitatem intra certum terminum recuperet: ſi non vocet medicum, adhibeatque medicinas neceſſarias, quales adhiberet voto non emiſſo, & ſic culpa ſua gravi, quamvis non in fraudem, ſanitas recuperata non ſit, aut non ſit intra eum terminum, tenebitur voto; niſi certum ſit iis adhibitis, non comparandam. Quia culpa ſua notabili, media ordinaria omittens impedivit conditionis eventum. At ſi caſu, & non in voti fraudem, in eſu, potuve nimis exceſſit, etſi exceſſus fuerit mortalis, vel in alia quavis re exceſſit, quod in cauſa fuit ſanitatis non recuperandæ, aut non intra terminum præfixum, non tenebitur voto. Similiter ſi poſtea non in voti fraudem, ſed ira percitus, aut iniqua ſucceſſionis cupiditate victus, patrem necaret, non adſtringetur voto. Quòd ratione voti non obligari cenſeatur ad hæc extraordinaria, & à vouentibus numquam cogitata. Et ita *Ricardus* 4. *diſt.* 38. *art.* 5. *quæſt.* 3. *ad* 2. *Et Angelus verbo Votum* 1. *num.* 10. *Sylv. verbo Votum* 2. *qu.* 2. *dicto* 2. *Tabiena verbo Votum* 2. *quæſt.* 2. *in initio, Navar. ſumma c.* 12. *n.* 42. dicunt, ubi de alia intentione non conſtat, cenſeri hunc ſe obligare ad ea media, quæ voto non emiſſo appoſuiſſet.

52 Ex his deducitur primò, quid ſentiendum ſit de voto ſub conditione, ſi Deus præſervet vouentem ab aliquo peccato. *Supplementum Gabrielis* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *articulo* 3. *concluſione* 2. *in fine*, ait hunc teneri voto, quaſi conditione impleta, etſi ex fragilitate, ac tentatione victus ſuccumbat. Quòd ex culpa ſua non impleatur conditio. Deus enim adjuvaret, ſi quod in ſe eſt, ille faceret. Sed hæc ſententia nullatenus eſt tenenda. Quia juxta eam numquam id votum deobligare poſſet; ac proinde fruſtra eventus conditionis expectaretur, ſed ſtatim perfectè obligaret; ut in conditionibus neceſſariis accidere diximus *n.* 5. Quia impoſſibile eſt eam conditionem deficere, niſi ex vouentis culpa. Aliis placet hunc tunc tantùm teneri voto, quando non adhibuit eam diligentiam ad vitandum id peccatum, quam non emiſſo voto adhibuiſſet, vel quam intendebat apponere tempore voti, vel quando data opera in id peccatum lapſus eſt, ne voto adſtringeretur. Ita docent, *Ricardus, Angelus, Sylveſter, Tabiena, Navarrus* allegati *num. præcedenti, Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtructorii, c.* 44. *column.* 2. *verſic. Qui vovit*. Quod *Sylveſt.* limitat, niſi conſtaret intentionem vouentis fuiſſe, ut communiter ait eſſe, ut Deus ſpecialem gratiam ei conferret, qua ab illa ſua negligentia in eo peccato vitando præſeruaretur. In dubio enim hujus intentionis ait ſeruandam eſſe prædictam doctrinam. Idem ſentit, *Manuel.* 2. *tomo ſumma cap.* 98. *ad finem*, ubi ait hunc teneri voto, quando media non appoſuit ad id peccatum cavendum. Atque id probari poteſt ex dictis *nu.* 48. ubi probauimus impedientem ex gravi negligentia conditionem impleri, teneri voto.

53 Verùm exiſtimo aliquid ſpeciale eſſe in hac conditione, & ita quoties de alia ſpeciali vouentis intentione non conſtat, minimè eum voto teneri, ex quacumque negligentia illius peccati tentationi ſuccumbat; niſi ſolùm quando data opera, ut voti obligationem effugiat. Tunc enim obligabitur eo modo, quem *nu.* 49. explicuimus. Ducor, quia ut benè ait *Sylv. n. præced.* allegatus, communiter in eo voto intendunt vouentes, ut Deus ſpeciales vires ipſis addat, quibus illam negligentiam ſuperent. Ergo ubi non conſtat de alia vouentis intentione, hæc in dubio à communiter accidentibus præſumenda eſt. Quare non conſequenter locutus eſt *Sylv. ibi* dicens hanc eſſe communem vouentium intentionem, & eam non præſumi in dubio. Et ideò hanc ſententiam ſuſtinent *Palacios* 4. *d.* 38. *diſp.* 1. *poſt* 5. *concluſionem, fol.* 838 *column.* 1. *Angles floribus* 2. *p. qu. unica de voto art.* 2. *poſt* 17. *difficultatem dubio* 8. Et videtur tenere *Azor. lib.* 11. *inſtit. moral. c.* 20. *quæſt. ultima, in fine*, ubi docent tunc hunc obligari voto, quando ſcienter, & ſua ſponte ſe in peccatum præcipitat, aut periculis objicit, aut peccati occaſiones quærit; ſecùs quando ex negligentia cadit. Quamvis non explicet deſiderari quoque, ut in voti fraudem, ne eo teneatur, id efficiat. Quod deſiderari quoque exiſtimo, ut prædixi.

54 Secundò deducitur, vouentem aliquid, ſi quiſpiam id conſuluerit, non poſſe ab eo petere, ne id conſulat, aut, ut nolit, ne voto teneatur. Quòd ſi id petat, tenebitur voto, ſi aliàs certum eſt fore, ut ille vellet, aut conſuleret. Dico ſi certum ſit, quia in dubio, an conditio impleretur, quæ ab alterius voluntate pendebat, poſſet aliquis exiſtimare hunc non teneri voto. Quia ad obligationem voti conditionalis eſt neceſſarium, ut conſtet conditionem eſſe impletam, ut diximus *n.* 29. Sed dicendum eſt, etiam in hoc dubio teneri. Quia cum cenſeatur conditio impleta, quoties malitioſè ejus eventus impeditus eſt, & conſtet hunc malitioſè impediuiſſe, ſtat poſſeſſio pro illius conditionalis voti obligatione. Et conſtat ex Doctoribus, quos *n.* 47. allegauimus, dicentibus promittentem aliquid, ſi in ludo victus fuerit, quamvis procurando ſe non vinci, non efficiat contra conditionem; at efficere, & teneri promiſſione, ſi non ludat, ne vincatur; cum tamen dubium ſit, an ludens vinceretur, & ſic poneretur conditio. Quare ut hic à voti obligatione tunc liber evadat, opus eſt certò ſcire fore, ut eo non petente deficeret quoque conditio: eò quòd alter id nollet, aut non conſuleret. Quamvis autem non poſſit petere, ne conſulat, aut ut nolit, poteſt ipſi ſyncerè repræſentare difficultates, & contradictionem, quam ſentit ad votum explendum, ut alter videat, an expediat contradicere, aut non conſulere illud. Quia hoc non eſt impedire euentum conditionis culpabiliter. Dum autem dixi petentem, ut nolit, vel non conſulat, teneri voto, intellige, cum alter nequit iterum haberi, ut ejus voluntas, vel conſilium iterum petatur. Nam ſi poteſt haberi, id iterum peti debet. Ut ſtatim dicemus.

55 Quando tamen præſtiturum conſenſum, aut conſilium ille deciperet, qui ſecluſo eo dolo diuerſum vellet, aut conſuleret, non liberatur voto. Quia error ille involuntarii cauſa fuit. Sicut nec liberaretur, ſi metu, quamuis non cadente in virum conſtantem, eum diſſenſum, aut conſilium extorqueret. Quia votum obligauit ad liberum conſenſum, & conſilium petenda. Quare declarata veritate, ac ſublato omni metu tenetur id conſilium vel conſenſum iterum petere. Quòd ſi ille jam conſuli nequeat, quia obiit, aut aliàs haberi nequit, tenebitur voto, utpote qui conditionis eventum culpa ſua impedivit; niſi certum ſit ſecluſis dolo, & metu, idem illum conſulturum, aut voliturum. Nam in dubio tenebitur voto. Ut *nu. præced.* probauimus.

56 Tandem ſi veritate ſyncerè narrata, ille contrarium conſuluit, ſiue prudenter, ſiue imprudenter, & ex ignorantia, liber maneat vouens à voto. Quia defecit conditio. Et è contra; etſi imprudenter rem promiſſam conſuluerit, manet adſtrictus voto. Quia ille non ſe obligauit ad prudentiæ conforme alterius conſilium ſequendum, ſed ad id, quod ipſe conſuluerit qualitercumque, nec ſe obligavit ad aliud, niſi ad hujus conſilium petendum, & ſequendum. Et quamvis id ſemel præſtitum ille poſtea reuocet, nil proderit. Quia de primo conſilio ea conditio intelligitur. Sicut conditio, ſi alter voluerit, intelligitur de prima voluntate. Ut diximus *num.* 14.

De votorum irritatione

CAPUT XXIV.

Quid, & quotuplex irritatio ſit, qualem cauſam exigat? Quibus, & quo jure competat? Et an extendatur ad vota interna, & in poſterum emittenda, & ad vota, in quorum obligationem hæredes ſuccedunt? Et an irritandi poteſtas ſit delegabilis?

SUMMARIUM.

Quotupliciter obligatio voti ceſſet? num. 1.
Qualiter differat irritatio à diſpenſatione, & commutatione; n. 2.
Quotuplex ſit irritatio? Et quò differat à voti ſuſpenſione; numero 3.
An irritatio impropria, ſeu indirecta competat quibuſcumque ſuperioribus, & reſpectu quorumcumque ſubditorum; numero 4.
An utraque irritatio ſit actus juriſdictionis, & facta ab excommunicato valeat; nu. 5.
An ſit opus imponere aliquid ei, cui votum irritatur, aut poſſit ſuperior ſolùm ſuſpendere, aut partim irritare; numero 6.
An irritatio ad ſui valorem, aut honeſtatem petat cauſam? Explicatur à num. 7. *uſque ad* 13.
An peccet ſubditus irritationem voti abſque cauſa petens? Refertur duplex ſententia, num. 14.
Explicatur ſententia Auctoris, nu. 15.
An ſat ſit quæcumque cauſa levis ad irritationem; nu. 16.
An Pontifici integrum ſit vota laicorum irritare? Refertur quædam ſententia, nu. 17.
Explicatur ſententia Auctoris, nu. 18.
Quid de votis clericorum; num. 19.
Quid de votis religioſorum? Et an ſit ſupremus eorum prælatus num. 20.
An Epiſcopus poſſit vota ſæcularium etiam clericorum irritare; num. 21.
Quid de votis religioſorum; num. 22.
Quid de ſuperioribus habentibus vicariam juriſdictionem; numero 23.
Quid de patrefamilias reſpectu famulorum; nu. 24.
An irritatio voti concedi poſſit ſubdito invito: num. 25.
Quid de diſpenſatione; nu. 26.
Quid de commutatione; nu. 27.
Quo jure competat poteſtas irritandi vota ſuperioribus habentibus poteſtatem dominativam? Explicatur à numer. 28. *uſque ad* 32.
An poſſit jus Eccleſiaſticum prorogare, aut coarctare tempus ad irritanda puerorum vota, aut ipſummet irritare, aut aliis eam poteſtatem concedere; num. 33.
An infideles poſſint valida vota emittere, & ea poſſit irritari; num. 34.
An ſi quiſpiam vota in manibus alicujus extra religionem emittat, ſe illius obedientia obligans, poſſit hic illius vota irritare; nu. 35.
An poſſit quis ſua voluntate efficere, ita vota ſua alteri ſubjicere, ut ab eo irritari valeant; nu. 36.
An poſſit ita ſe adſtringere, ut eam voluntatem mutare nequeat; num. 36.
Quando cenſeatur eam voluntatem revocare; num. 38.
An ſuperioribus potentibus irritare, commutare, aut diſpenſare, id competat reſpectu votorum internorum, ac de re interna? Refertur quædam ſententia, nu. 39.
Explicatur ſententia Auctoris, nu. 40.
An Pontifex poſſit vota futura propriè irritare; nu. 41.
An poſſit ex cauſa juſta reddere nullam profeſſionem futuram; num. 42.
An poſſit quoddam perſonarum genus, aut perſonam ſpecialem inhabilitare ad profeſſionem, & vota ſimplicia Societatis Jeſu; num. 43.
Quid de aliis votis ſimplicibus; nu. 44.
An hæc irritatio ſit actus juriſdictionis, & valeat abſque cauſa; num. 45.
An hujuſmodi irritatio liceat etiam Epiſcopis; nu. 46.
An de facto ſit aliqua ejuſmodi irritatio; nu. 47.
An ſuperiores habentes poteſtatem dominativam poſſint vota futura irritare? Refertur quædam ſententia, nu. 48.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 49.
An poſſit ſubdito interdicere vota emittere ipſis inconſultis; n. 50.
An vota contra hoc interdictum emiſſa ſint irrita? Refertur opinio, nu. 51.
Explicatur ſententia Auctoris, nu. 52.
An ſuperiores irritare poſſint vota, quæ quidam tertius irritanda judicaverit; nu. 53.
An poſſint facultatem irritandi delegare; nu. 54.
An valeat denegatio hæc facta à ſuperioribus excommunicatis; n. 55.

An vota realia defuncti tranſeuntia in hæredem, ſubjiciantur irritationi, commutationi, & diſpenſationi, quibus ſubjiciuntur vota à defuncto emiſſa? Proponuntur probantia partem affirmantem, n. 56.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 57.

An facultas conceſſa Epiſcopis convertendi legata pia in alios uſus, extendatur ad hæc vota? n. 58.

An potens vota ſubditorum irritare, poſſit quoque ſua, aut ſuis confeſſariis committere, ut illa irritent? Proponuntur probantia partem affirmantem, n. 59.

Explicatur ſententia Auctoris, num. 60.

An ad irritationem voti exigatur illud exprimi ſuperiori? Et qua taciturnitas veri, aut expreſſo falſi illam irritet? Et an irritato voto principali, maneat pœna acceſſoria irritata? Remiſſivè, num. 61.

1 HActenus egimus de natura, & obligatione voti ſimplicis, jam de ejus diſſolutione agendum eſt. Hæc autem quo ad præſens attinet, eſt triplex, nempe, irritatio, diſpenſatio, & commutatio. Quippe quando ceſſat obligatio mutatione materiæ, aut ceſſatione cauſæ, aut deficiente conditione, ſatis hucuſque egimus. Et ideò præſentis negotii eſt ſolùm tractare, quando auctoritate ſuperioris poſſit obligatio voti ceſſare. Quod ſolo triplici modo prædicto contingit; quamvis enim ceſſet etiam redemptione; at hæc eſt vera commutatio, ſoloque nomine differt, & re, in quam fit: dicitur enim redemptio, quando commutatio fit in eleemoſynam pecuniariam; commutatio autem, quando in alia pia opera. Ut benè docet *Sylv. verb. Votum* 4. *q.* 1. *in fin.* Quare redemptio ſub commutationis nomine includitur. In præſenti igitur tractatur de votorum irritatione; deinde de diſpenſatione; & tandem de commutatione agetur. Atque in hoc capite, & aliquibus ſequentibus agemus de iis, quæ communia ſunt omnium votorum irritationi; deinceps ſigillatim agemus de facultate irritandi competente prælatis religionum, conjugibus, parentibus, dominis.

2 Priuſquam ad difficultates enodandas deſcendamus, oportet aliqua præmittere. Primò præmittendum eſt, irritationem differre à diſpenſatione, & commutatione, quòd diſpenſatione, & irritatione extinguatur obligatio voti; at commutatione non extinguitur, ſed eademmet voti obligatio transfertur in aliam materiam loco prioris ſubrogatam. Rurſus irritatio differt ab utraque, quòd illa pertineat ad poteſtatem dominativam, nec ad ſui valorem exigat cauſam; hæc autem exigunt cauſam, & pertinent ad poteſtatem ſpirituatualem. Ut ſuis locis dicemus.

3 Secundò præmittendum eſt, duplicem eſſe irritationem. Quædam eſt propria, & directa, quæ ſimpliciter irritatio dicitur; alia autem eſt impropria, & indirecta, & ſecundùm quid, quæ propriè dicitur quædam voti ſuſpenſio. Quæ in hoc differunt. Quando eſt vera irritatio, extinguitur prorſus obligatio voti, & cum obligatio ſemel extincta numquam reviviſcat, *l. Cum ex cauſa, C. de remiſs. pignor.* nec poſſit aliquis abſque propria voluntate voto adſtringi, quamvis ſuperior irritans aſſenſum poſtea voto præbeat, non tenebitur ſubditus ad illud, niſi denuo voueat. Quod benè tradunt *Sylv. verbo Votum* 4. *q.* 2. *dicto* 3. *Navarr. ſummn c.* 12. *Hiſpana num.* 65. *Lat. num.* 64. *Graffis* 1. *p. deciſ. lib.* 2. *c.* 29. *num.* 4. *Philiarcus de offic. ſacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 4. *§. Sed major difficultas, Emmanuel Sà ſumma, verbo Votum, ubi de voti irritatione, num.* 4. *Suar. tom.* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 7. *num.* 13. *Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 10. *num.* 13. Quando verò eſt ſola voti ſuſpenſio, manet quidem vinculum voti, & ob ſolam materiæ prohibitionem, ejus obligatio eſt ſuſpenſa, quamdiu prohibitio durat, & ideò ea ceſſante priſtinas obligandi vires recuperat. Quod per ſe notum eſt, & ab omnibus recipitur.

4 Rurſus differunt, quòd irritatio propria, & directa ſoli poteſtati dominativæ competat: qualem habent prælati religionum in ſuos religioſos; pater in filios, vir in uxorem, dominus in ſervos. Impropria autem, & indirecta, convenit ratione cujuſcumque ſubjectionis, & ideò illa in ſolis ſubditis dominativæ alterius poteſtati locum habet; hæc autem in quibuſcumque ſubditis. Et ideò hæc habet locum reſpectu quorumcumque fidelium, præter ſummum Pontificem. Quia omnes præter illum habent ſuperiorem in terra, qui ex cauſa juſta poteſt quandoque ad tempus prohibere materiam voto promiſſam, & ſic obligationem ſuſpendere, ſive ſuperior ille ſit temporalis, ut herus reſpectu famulorum, &c. ſive ſpiritualis, ut Pontifex, vel Epiſcopus. Ut benè docet *Suarez eodem de voto, l.* 6. *cap.* 1. *numero* 6. *& cap.* 2. *numero* 6. Habet etiam locum reſpectu omnium infidelium, præter ſupremum Principem. Quia omnes præter illum alicui ſubjiciuntur.

5 Ex quo fit, ut irritatio directa, & propria non ſit actus juriſdictionis, ſed dominii cujuſdam, ita ut talis perſona ſit ita ſub alterius poteſtate conſtituta, ut voluntatem ſuam dependentem habeat ab illius voluntate, quo ad vim ſe firmiter obligandi. Ut optimè dicit *Suarez* 5. *tomo in* 3. *p. diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 8. At indirecta, & impropria quandoque eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, aut temporalis, ut quando Pontifex, vel Epiſcopus, juriſdictione ſpirituali ſuſpendunt materiam, præcipiendo aliquid tunc cum voto incompatibile, vel poteſtas publica juriſdictione temporali, qua fungitur. Quandoque autem non eſt actus juriſdictionis, ſed cujuſdam dominii, aut juris impetrandi, ut contingit, quando herus ſuſpendit votum famulorum, vel habens poteſtatem dominativam inſcius voti præcipit aliquid incompatibile, aut illius conſcius non vult irritare, ſed ſolùm ſuſpendere. Quando ergo eſt actus juriſdictionis, factus ab excommunicato denuntiato, aut notorio clerici percuſſore, non valet. Quia (ut traditur in tractatu de excommunicatione) nullus actus juriſdictionis ab his exercitus valet. Quando verò non eſt actus juriſdictionis, valet utique. Sicut probavi *l.* 3. *de matrim. diſp.* 21. *num.* 4. validè aſſiſtere parochum matrimonio, quando ita excommunicatus eſt, eò quòd aſſiſtentia illa non ſit actus juriſdictionis. Sicut & validè revocaret alienationem quamcumque abſque ſuo conſenſu factam.

6 Secundò deducitur, ſuperiorem, qualiſcumque ille ſit, irritantem votum ſubditi, ſive propriè, & directè irritet, ſive impropriè, & indirectè, non teneri imponere ſubdito aliquod onus loco voto irritati. Quia non utitur commutatione: ſed mera irritatione, ad quam jus habet. Item, quia nequit invito commutationem imponere. Ut dicemus *numero vigeſimo ſeptimo*. Poteſt tamen partem ab illo promiſſam irritare, relicta alia, quando votum eſt dividuum. Ut ſi eſt partim reale, & partim perſonale, ita ut obligatio realis ſit per accidens conjuncta perſonali, nec ab illa dependeat tamquam illi acceſſoria, poteſt alterutram ſolam irritare. Quia id non eſt novum aliquid injungere, ſed ſolam obligationis partem auferre: poteſt inſuper non verè irritare, ſed ſuſpendere. Quia cum cauſa libera ſit, non cogitur ſecundùm totam ſuam poteſtatem operari. Quod benè docet *Suarez eodem tractatu de voto, l.* 6. *c.* 1. *num.* 11. *&* 12. *juncto c.* 7. *numero* 14. *in fine.*

7 His præmiſſis, prima difficultas eſt, an irritatio voti cauſam legitimam exigat. Et quidem quando ea eſt impropria, & indirecta, nec fit ratione poteſtatis dominativæ, ſed ratione ſolius juriſdictionis competit, manifeſtum eſt eam cauſa indigere, non ſolùm, ut licita ſit, ſed etiam, ut valeat. Quia ſuperior carens poteſtate dominativa, nequit validè legem, aut præceptum indicere impedientia voti executionem, ſi nulla juſta cauſa dicatur. Et ita docet *Suarez eodem lib.* 6. *c.* 1. *n.* 9. Et idem eſt dicendum, quando hæc ſuſpenſio ſit ratione poteſtatis, cujuſcumque temporalis præter dominativam. Quia votum non habet conditionem aliquam imbibitam, pendentem ab illa.

8 Secundò conſtat, quando irritatio procedit ex poteſtate dominativa, nullam ad ſui valorem cauſam exigi. Quod univerſi Doctores *num.* 11. 12. *&* 13. allegandi fatentur. Et ratio eſt, quia ad rei ſuæ uſus valorem, ſuique juris, nulla cauſa deſideratur. Præterea, quia contradicente, aut non conſentiente ſuperiore, ceſſat obligatio hujuſmodi votorum, eò quòd conditio imbibita in illis, *ſi ſuperior conſenſerit, aut contradixerit*, deficit. Ergo ceſſat, ſive ex cauſa, ſive abſque illa deficiat conditio.

9 Tertiò etiam conſtat, ſi non de ſola irritationis natura loquamur, ut irritatio eſt; ſed ſecundùm naturam omnium actuum humanorum, eſſe venialem actus otioſi culpam, irritare abſque cauſa, & ſine honeſto. Quippe omnis actus humanus ad ſui honeſtatem, & ut vitio otioſitatis liberetur, petit aliquem honeſtum finem. Sicut aliud eſt tractare, an dominus ex vi dominii peccet utens ad libitum re ſua; aliud autem, an ex circumſtantiis adjunctis peccet, ut ſi prodigè, aut carens fine honeſto.

10 Tandem conſtat irritationem voti abſque juſta cauſa factam, carere culpa contra voti religionem; qualis eſſet in voti diſpenſatione abſque juſta cauſa. Quia cum illud votum habeat conditionem pendentem à voluntate irritantis, nulla injuria fit Deo, irritando abſque cauſa. Quod benè docet *Suar. eodem libro* 6. *cap.* 1. *n.* 10.

11 Difficultas autem eò pertinet, an irritatio facta virtute poteſtatis dominativæ petat ex ſui natura cauſam, ut omni prorſus culpa liberetur? Triplex eſt ſententia. Prima ait carere omni culpa. Ducitur, quia ſuperior irritans utitur jure ſuo, quod habet, ne inferiorum vota ſint abſque ejus conſenſu firma; nec jure aliquo cogitur ea approbare, cum nec ipſe vouerit, nec votis emittendis conſenſum præſtiterit. Et confirmatur, quia cum totum votum in ipſius ſuperioris arbitrium ſit collatum, ex eoque pendeat, nulla eſt culpa, ex ſola ſua voluntate, arbitrium ſeu conſenſum denegare. Utſi quis rem alienam promittat, integrum eſt domino ratione ſolius dominii, denegare conſenſum. Tandem, quia hæc irritatio non eſt actus juriſdictionis, quæ ad licitum uſum exigit cauſam. Et ideò hanc tenent *Paludanus* 4. *d.* 38. *qu.* 4. *art.* 2. *concluſione* 2. *n.* 20. *& ibi Supplementum Gabrielis q.* 1. *art.* 5. *concluſione* 2. *Palacios ibi, diſput.* 3. *columm.* 11. *verſic. Porro irritatio, fol.* 867. *Ovandus ibi, diſput. unica, propoſitione* 19. *D. Antoninus* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 6. *ad finem, Sylv. verbo Votum* 4. *q.* 1. *verſic. Unde dicit: & qu.* 2. *dicto* 6. *Angelus verbo Votum* 2. *num.* 10. *Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c.* 12. *num.* 73. *Margarita confeſſorum fol.* 133. *p.* 2. *Alcozer ſumma c.* 16. *ubi de effectu irritationis, concluſione* 2. *fol.* 54. *pag.* 2. *Angles floribus* 2. *par. q. unica de voto, art.* 7. *difficultate* 4. *Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtructorii conſcientiæ cap.* 48. *colum. ultima, verſic. Peccant prælati, Azor. tomo* 1. *inſtitutionum moralium, lib.* 11. *c.* 17. *q.* 5. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ tractatu* 10. *cap.* 7. *dubio* 2. *in*

difficultate, quam movet circa quartum dictum, & c. 8. *dubio* 2. *verſic. Dize lo ſegnudo, Suarez tomo* 5. *in* 3. *p. diſp.* 4. *ſectione* 2. *num.* 8. *Manuel quæſt. regularibus, tomo* 1. *q.* 25. *art.* 7. *in fine & in* 2. *tomo ſummæ c.* 89. *n.* 9. *Vivaldus candelabro ſacramentorum* 3. *p. c.* 14. *num.* 92. *Llamas in methodo curationis* 3. *p. cap.* 4. *§.* 42. *Vega ſecundo tomo ſummæ, in cap.* 129. *caſu* 89. Et favent ſatis *Cajet. ſumma verbo votum, c. ultimo, ſtatim in principio, Gregorius Lopez l.* 3. *in fine tit.* 8. *p.* 1. *Viguerius de inſtitutionibus c.* 5. *§.* 5. *verſic.* 16. *in fine, Toledo lib.* 4. *ſummæ c.* 18. *nu.* 9. *verſic. Irritare, Emanuel Sa in ſumma, verbo votum, ubi de voti irritatione numer.* 1. *Philiarchus de officio ſacerdotis, tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *paulò poſt principium, & concluſione* 4. *Beja in ſuis reſponſis* 1. *par. caſu* 49. *verſic. Tum quia diſpenſatio:* dicunt enim irritationem nulla cauſa egere, ſed ſola ſuperioris voluntate fieri poſſe: ubi cum non diſtinguant, videntur loqui non de ſolo irritationis valore, ſed etiam de ejus honeſtate.

12 Secunda ſententia ait ſpectandum eſſe, an talis poteſtas detur ad vota irritanda, in bonum, & utilitatem voventis, an potiùs in ſolius irritantis, gratia ſui damni vitandi; aut in utriuſque bonum. Primo modo ait concedi prælatis religionis, & tunc exigi cauſam, nempe, ut irritatio ſit utilis, vel vouenti, vel religioni, vel cenſeatur majus Dei obſequium, ut licita ſit, non tamen eſſe mortale abſque cauſa irritare, niſi vel prava intentio, vel grave ſubditi nocumentum, & notabilis negligentia prælati intercedat. Quod raro euenturum ait, ſecluſa directa malitia. Secundo modo ait concedi domino, in vota ſerui, & tunc nullam exigi cauſam, ſed ſolùm propriæ commoditatis affectum ſufficere. Quia ibi utitur dominus re omnino ſua: & ſolùm ait debere dominum obſervare, ne contra charitatem ſervo etiam debitam fiat. Sicut voto eleemoſynæ ex re aliena facto poteſt dominus rei ad libitum diſſentire. Ultimo modo ait datam poteſtatem patri, in filiorum vota, & marito in uxoris vota, & tunc dicit idem ferè eſſe dicendum, quamvis majori obligatione taneantur hi conſulere bono filiorum, & uxoris. Hanc tenet *Suar. t.* 2. *de relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 10.

13 Ultima ſententia (cui tamquam probabiliori adhæreo, quamuis duplex præcedens ſit probabilis,) ait ſemper eſſe culpam venialem, irritare abſque juſta cauſa. Ducor, quia ſi ſit prælatus religionis irritans, abutitur poteſtate in ſpirituale religionis, & ſubditi bonum ſibi conceſſa. Si maritus aut pater abutuntur etiam poteſtate conceſſa ad prudentem filiorum, & uxoris ac familiæ gubernationem. Si autem ſit dominus reſpectu ſervi, non ſe habet omnino ſicut promittens eleemoſynam de re aliena, quia ſic promittens nullam prorſus ipſius diſpoſitionem habet, nec dominus peculiæ tenetur ſpirituali promittentis bono ſpecialiter conſulere, ſed ſola generali charitatis obligatione. At ſervus aliquale ſuarum operationum dominium habet, & aliquale jus ad ſpiritualia aliqua exercenda, & dominus ſpeciali lege tenetur ſpirituali ejus ſaluti proſpicere, utpote qui ſub ejus cura eſt. Ergo abutitur poteſtate, ſi omni prorſus cauſa deſtitutus irritat. Præterea, quia nonnulla deformitas eſt, & vituperabile, ſine cauſa ulla illam ſubiti promptitudinem ad exhibendum Deo cultum per votum impedire. Et ex his conſtat ad rationes contrarias. Hanc tenent *Sotus lib.* 7. *de juſt. quæſt.* 3. *artic.* 1. *columna* 4. *verſiculo De uſu autem, Metina lib.* 1. *ſumma, cap.* 14. *§.* 7. *paulò poſt initium, Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *columna* 4. *verſiculo Sed quoniam de irritatione, fol.* 117. *Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 10. *num.* 14. *Leonardus libro* 2. *de juſt. cap.* 40. *dubio* 10. *num.* 70. *Manuel in bulla Cruciata, §.* 9. *numer.* 104. *& additionibus ad bullam §.* 9. *numer.* 104. *Conradus in ſuis reſponſis* 1. *p. q.* 298. *Valentia* 2. 2. *diſputatione ſexta, quæſt.* 6. *puncto* 6. *colum.* 1. *verſiculo, Ad quam irritationem.* Imò *Abulenſis c.* 30. *Num. q.* 43. dicit non eſſe modicum delictum, cui in hac parte non credo.

14 Ex his deducitur, quid dicendum de ſubdito abſque ulla cauſa petente votorum irritationem. Quidam eum omni culpa liberant. Quòd utatur jure ſuo, manifeſtando novam obligationem à ſe contractam, ut ſuperior auctoritate ſibi conceſſa eam dirimat. Præterea quia votum fuit conditionale, nec ſubditus ſe obligavit ad cauendum, ne conditio impediretur, vel ad non procurandum, ut non ponatur. Hujus ſententiæ videntur apertè *Sotus libro ſeptimo de juſtitia, q.* 3. *articulo primo, columna* 8. *verſic. De poſteriori etiam membro, Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *articulo* 8. *columna* 5. *in* 2. *concluſion Alcozer ſumma cap.* 16. *ubi de effectu irritationis, concluſ.* 3. Nam loquentes de religioſis, indiſtinctè ajunt licere eis proponere votum prælato, & ſe propenſos oſtendere, ut irritet. *Suarez* autem *tomo* 2. *de religione, tractatu de voto, libro ſexto, capite ſeptimo, numer.* 16. eodem tendit, licèt non clarè explicet ſuam mentem: quia expreſsè agit de religioſo non habente juſtam ad diſpenſandum cauſam: in quo caſu res eſt certa, cum multò minor ad irritationem cauſa petatur: & *in fine* concludit, ſicut non peccat prælatus irritando, ita nec ſubditum peccare petendo irritationem. Et ideò in utroque dicto videtur petere aliqualem cauſam, ſed minorem, quàm ad diſpenſationem, cum ipſe ſentiat, ut *num.* 12. retulimus, peccare prælatum religionis irritando abſque cauſa. At aliæ rationes, quibus utitur, probant nullam eſſe culpam, petere abſque cauſa. Atque in propriis terminis docent *Ovandus* 4. *d.* 38. *diſputatione unica, propoſitione* 21. *Angles floribus* 2. *p. quæſt. unica de voto, art.* 7. *difficultate* 4. *Manuel quæſt. regularibus, tom.* 1. *q.* 25. *articulo* 7. *in fine, & tomo* 2. *ſummæ cap.* 89. *num.* 9. *Llamas methodo curationis* 3. *p. c.* 4. *§.* 22. *Vega* 2. *tomo ſummæ c.* 129. *caſu* 89. Alii verò cenſent eſſe culpam venialem. Tum quia ſubditus eſt cauſa culpæ venialis, quam ſuperior irritans abſque cauſa contrahit. Tum etiam quia eſt ſignum negligentiæ animi, ac aliqua deformitas, velle ſe obſequio Deo per votum liberare abſque aliqua cauſa. Ita docent *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ tractatu* 10. *cap.* 7. *dubio* 2. *in difficultate, quam movet circa quartum dictum, Sayro in clavi regia, lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4.

15 At regulariter exiſtimo priorem ſententiam eſſe veram. Quia numquam ſubditus id proponit ſuperiori, niſi quia gravamen aliquod ſentit, ac moleſtiam in voti executione, & non malè facit, ſed utitur jure ſuo, proponens ſuperiori eam moleſtiam, ut judicet, an expediat irritare, idque dijudicare non eſt ſubditi, ſed ſuperioris, cujus ſententiam poteſt ſequi. At ſi apertè noſſet nullam eſſe cauſam, nec grauamen ſentiret, eſſet culpa venialis. Ut probant rationes poſterioris ſententiæ. Præterea quia pœnitere voti emiſſi abſque aliqua cauſa, eſt culpa venialis: ergo à fortiori abſque illa petere irritationem. Cum petitio hæc pęnitentiam claudat, addatque voluntatem illius diſſolvendi.

16 Cum tamen res ſit adeò leuis; ut ſatis dubium ſit, an inveniatur culpa venialis in irritatione abſque cauſa, & in ejus petitione, ut ex dictis conſtat: exiſtimo valde modicam cauſam excuſare utrumque à culpa, & moraliter loquendo in neutro eam reperiri.

17 Secunda difficultas eſt. Quibus ſuperioribus competat hæc irritandi facultas? Nec agimus de prælatis religioſorum, nec de viris, nec de parentibus, nec de dominis: quiſigillatim de his omnibus eſt inferiùs agendum. Sed de ſummo Pontifice, & Epiſcopo eſt difficultas, an poſſint propriè & directè irritare vota, ille omnium fidelium, hic autem, fidelium ſuæ diœceſis. Conſultò autem dixi irritare directè, & propriè, quia utrumque, & quemcumque alium ſuperiorem poſſe aliquando indirectè, & impropriè, diximus *nu.* 4. Et videtur eis competere hæc poteſtas. Quia ea irritandi poteſtatis ratio ab univerſis aſſignatur, quòd vota ſubditorum imbibitam habeant conditionem, *niſi ſuperior, cujus poteſtati derogare nequeunt, contradixerit*. At eadem conditio intelligitur in ſubditis, reſpectu pontificis, & Epiſcoporum, quorum poteſtati nequeunt ſubditi derogare, ac proinde eorum auctoritas intelligitur ſemper excepta. Ut colligitur ex *cap. Veniens, de jurejurando* & tradunt *ibi* Doctores, & ex *cap. Venientes, eod. tit. ubi Gloſſa verbo Jus*, ait per illum textum, ſemper in juramento cenſeri exceptam ſuperioris auctoritatem: & *cap. Quemadmodum, verbo Conditio, de jurejur.* ait plerique in juramentis intelligi conditionem, *ſi Papa placuerit*. Ergo poterunt ſimiliter irritare. Item quia cui licet, quod plus eſt, licet etiam quod minus: *regula cui licet* 53. *de regulis juris, in ſexto*. At plus eſt diſpenſare, quam irritare: cum illud ſit juriſdictionis ſpiritualis, quæ multo excellit dominativam. Tandem quia poteſt irritare vota, antequam fiant: ut dicemus *numer.* 44. Ergo & poſtea facta. Et ideò hanc ſententiam loquentes de Pontifice tenent, *Metina de ſacrorum hominum continentia lib.* 5. *cap.* 44. *ad finem, & Llamas methodo curationis* 3. *par. cap.* 44. *§.* 41. *in fine*, & dicit eſſe parum probabilem *Leonardus lib.* 2. *de juſt. cap.* 40. *dub.* 10. *num.* 86. quare videtur cenſere nonnihil probabilitatis habere. Et eamdem loquentes de omnibus prælatis, tenuere quidam Doctores antiqui, quos tacito nomine refert *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 12. *corpore.*

18 At dicendum eſt, Pontificem ea poteſtate irritandi vota ſæcularium minimè potiri, ac proinde nullum illorum votum poſſe irritare. Quia etſi in illos gaudeat pleniſſima, ac ſuprema poteſtate, ad eos in finem ſpiritualem dirigendos, ac proinde ad hunc finem poſſit ex cauſa juſta, eorum vota diſpenſando reſcindere: at caret poteſtate dominativa, cujus eſt vota ſubditorum, pro ſuæ voluntatis libito irrita reddere. Nec obſtant in contrarium adducta. Quia ad primum fateor in omnibus votis, & juramentis, exceptam eſſe Pontificis auctoritatem, non tamen quaſi ea vota pendeant à mera Pontificis voluntate; ut pendent ab habente poteſtatem dominativam. Ut rectè expendit *Div. Thomas eodem artic.* 12. *corpore:* nec quaſi habeant tacitam conditionem pendentem à voluntate ipſius diſpenſantis ex legitima cauſa, Ut latè probat *Suarez tomo ſecundo de religione, in tractatu de voto, lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 12. Sed ſemper intelligitur excepta ejus auctoritas, ut poſſit ex juſta cauſa diſpenſare, cui vovens derogare nequit. Nec obſtat etiam ſecundum, quia ea regula intelligitur in rebus ejuſdem generis, qualia non ſunt hæc: cum irritare ſit poteſtatis dominativæ, diſpenſare autem ſpiritualis. Nec tertium etiam obſtat, tum quia faciliùs impeditur res ante factum, quam poſt reſcinditur: tum etiam quia ea non eſt irritatio propriè, & de qua loquitur. Ut dicemus *num.* 4. *& 45.* Et ideò hanc partem tenent *D. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *corpore, & ibi Cajetanus col.* 4. *verſic. Ad ſecundæ quæſtionis evidentiam, Sotus lib.* 7. *de juſtic. qu.* 3. *art.* 1. *columm.* 3. *verſiculo Sciſcitaris, Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c.* 120 *num.* 76. *Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. *columna* 7. *verſicul Secundo eſt advertendum, Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto,*

Artic. 8. diffic. 9. concluſ. 1. Ludovicus Lopez 1. p. inſtruct. conſcientiæ c. 49. columna 2. verſiculo Secundum, Suarez latiùs probans *eod. lib. 6. c. 2. num. 3. & 4. Azor. tomo primo inſtitutionum moralium, lib. undecimo, c. 17. quæſt. 3. verſiculo, Quæres an ſaltem, Leonardus lib. 2. de juſt. c. 40. dubio 10. num. 86. Vaſquez 1. 2. q. 99. art. 4. diſputatione 165. c. 4. num. 30. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. c. 7. columna 2. notabili 2. & dubio 2. dicto 1. & cap. 8. dubio 2. verſiculo Dize lo ſegundo, Manuel. 2. tomo ſummæ c. 89. num. 1. & qq. regularibus, tomo 1. q. 25. articulo quinto, Vivaldus candelabro ſacramentorum 3. p. cap. 14. in fine, Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de votorum irritatione num. primo, Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo primo, p. 2. lib. 3. c. 4. concluſione quarta, Sayro in clavi regia, libro ſexto, c. 10. n. 17. Vega 2. tomo ſummæ, c. 129. caſu 88. Conradus in ſuis reſponſis 1. p. quæſt. 297.*

19 Atque idem dicendum eſt de votis quorumcumque clericorum ſæcularium. Quippe nec in illis Pontifex poteſtate dominativa fruitur. Atque ita videntur docere *Cajetanus, Sotus, Navarr. Petrus de Ledeſma triplici loco, Vaſquez, Angles, Vega, Emmanuel Sà, Ludovicus Lopez num. præcedenti* relati, quia indiſtinctè de votis ſæcularium loquuntur. Et in propriis terminis docent *Aragon. Suarez, num. 4. Philiarcus, Azor. Sayro, Leonardus, num. præcedenti* relati, *Manuel. eodem c. 89. num. 1.* Quod tamen optimè limitant *Azor. Sayro, Leonardus, Philiarcus, Suarez num. 7.* niſi clericus vouerit aliquid, quod ad gubernationem Eccleſiarum, beneficiorum, & rerum Eccleſiaſticarum pertineat, integrum enim eſt Pontifici id votum irritare. Quia tacita conditione videtur emiſſum, *ſi Romano Pontifici placuerit*, idque votum aliqua ex parte, ejus ſupremæ poteſtati circa rerum Eccleſiaſticarum diſpoſitionem obeſt. Quod idem ſatis probavi *libro præced. c. 20. num. 1.* Exemplum adhibent *Philiarcus, & Sayro*, ut ſi votum ſit de non augendo canonicorum numero. Et *Philiarcus*, ut ſi ſit de rebus Eccleſiæ non alienandis. Et *Sayro*, ut ſi ſit de alienando beneficio, de renuntiando illi. Atque *capite ſequenti* agemus latiùs de votis, in quibus Epiſcopi, & beneficium habentes, pendent ex conſenſu Pontificis. An verò hæc ſit perfecta irritatio, ita ut vota ſint in perpetuum extincta, dicemus *c. 26. n. 6.*

20 At integrum eſt Pontifici religioſorum quorumcumq; vota irritare, quæ alii regulares eorum prælati irritare valent. Quia ut præter Doctores omnes ſtatim citandos, docent *D. Thom. 2. 2. q. 186. articulo quinto, ad 3. & ibi Cajetanus ſuper illam, Leonardus libro 2. de juſtitia, c. 41. dubio 15. num. 114. Bannez 2. 2. q. 11. articulo decimo, dubio 6. ad finem, Valentia 2. 2. diſputatione decima, quæſtione tertia, puncto octavo, ſtatim in principio, Ribadeneira libro de inſtituto Societatis Jeſu c. vigeſimo*, religioſi ſubduntur Pontifici, non ſola ratione, qua ceteri fideles, ſed etiam ex vi voti obedientiæ, eò quòd eſt ſupremus omnium religionum Generalis, & ipſi emittitur votum obedientiæ in profeſſionem factum: & ideò habet dominativam in illos poteſtatem, ſicut prælatus regularis. Et ideò hoc tradunt *Cajetanus, Sotus, Navarr. Aragon. Angles, Vaſquez num. 31. Manuel utroque loco, Azor. ea q. 3. verſ. Monachorum verò, Emmanuel Sà, Ludovicus Lopez, Vega, Corradus, Petrus de Ledeſma eo c. 7. columna 2. notabili 2. Vivaldus, Sayro* allegati *num. 18. Alcozer ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare vota, concluſione tertia, Valentia 2. 2. diſputatione ſexta, q. ſexta, puncto ſexto, columna ſecunda, verſiculo Secundò diligenter, in fine, Suarez tomo ſecundo de religione, tractatu de voto, libro ſexto, c. ſeptimo, numero decimo octavo.*

21 Atque à fortiori nec Epiſcopus poterit irritare vota ſæcularium, ſive laicorum, ſive clericorum. Quod ferè omnes citati *num. 18. & 19.* tradunt. Excipiuntur tamen vota clericorum vergentium in Eccleſiæ detrimentum. Ut ſi Parochus voueat longam peregrinationem. Ut benè docent *Abulenſis c. 30. Num. q. 71. Alcozer ſumma c. 16. ubi de potentibus irritare, concl. 2. fol. 54. pagina 2. Suarez tomo 2. de relig. tractatu de voto lib. 6. c. 2. n. 8.* & dicemus latiùs *c. ſequenti*. An verò ſit irritatio propria, & directa, an ſola ſuſpenſio, dicemus *c. 26. n. 7.*

22 Nec religioſorum quoque vota irritare valet, niſi eorum, quorum eſt peculiaris prælatus, cui votum obedientiæ emittitur, ut contingit in aliquibus monialium cœnobiis. Quia jam omnes religioſi habent ex Pontificis privilegio exemptionem, ac ipſi immediatè ſubſunt. Ita *Leonardus lib. 1. de juſtitia c. 41. dubio 15. num. 114. Petrus de Ledeſma 2. t. ſummæ, tractatu 10. c. 7. column. 2. notabili 2. Suarez eodem lib. 6. c. 7. num. 18.*

23 Superiorum autem vice fungentes, atque ita ſolam vicariam juriſdictionem habentes, poſſunt ea vota irritare, quæ poſſunt ſuperiores, ſi auctoritate legitima habeant eam vicariam juriſdictionem generalem ad omnes cauſas, & non reſtrictam ad aliquas determinatas. Quippe tunc ſunt plenè ſuperiores, eademque illorum auctoritate funguntur. Sicut tutores ideò irritare vota filiorum poſſunt, quòd auctoritate legis, vice parentum fungantur. Ita docent *Azor. tomo 1. inſtitut. moral. lib. 11. c. 17. q. 3. ad finem, Sayro in clavi regia, l. 9. c. 10. num. 16.*

24 Tandem paterfamilias nequit ſuorum famulorum vota irritare. Quippe cum illi mancipia non ſint, minimè ſubduntur dominativæ ejus poteſtati. Sic *Sotus libro 7. de juſtitia q. 3. art. 1. column. 3. verſ. Sciſcitaris, Vega 2. tomo ſummæ c. 129. caſu 88.* Quod de vera irritatione eſt intelligendum: nam poteſt eorum vota ſuo obſequio præjudicantia ſuſpendere uſque ad tempus finitæ obligationis. Ut in genere de omnibus ſubditis diximus *num. quarto*. Et in ſpecie docet *Suarez eodem libro 6. c. 3. num. 6.* An idem ſit in voto, aut juramento religionis, diximus *lib. præced.* tractantes, an id juramentum impleri poſſit, imò abſque juramento liceat religionem ingredi, non obſtante pacto jurato alicujus miniſterii.

25 Tertia difficultas eſt. An irritatio, diſpenſatio, & commutatio voti fieri poſſint vouente invito? Et quidem irritatio poteſt fieri vouente invito. Quia cum pendeat à dominativa ſuperioris poteſtate, poteſt exerceri, velit, nolit inferior: neque enim hic poteſt illi præjudicare. Ita *Arag. 2. 2. q. 89. art. 9. paulò poſt principium, Suarez eodem lib. 6. c. 1. ad finem, Sayro in clavi regia, libro 5. c. 8. numero 6.*

26 Secùs autem dicunt *Aragon. & Suarez ibi*, de diſpenſatione. Probat *Aragon.* quia eſt actus juriſdictionis ſpiritualis. At hæc ratio eſt inefficax. Quia abſolutio ab excommunicatione eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, & tamen confertur invito. Ut traditur in tractatu de excommunicatione. *Suarez* autem probat, quòd diſpenſatio ſit beneficium, quod in invitum non confertur. Item quia cum ſit in favorem ejus, cum quo diſpenſatur, non debet in ejus onus extorqueri: *regula Quod ob gratiam 61. de regulis juris in 6.* Tandem quia eo ipſo quòd ſubditus non acceptat diſpenſationem, videtur iterum emittere votum. At exiſtimò diſpenſationem quoque concedi poſſe invito vouente, ita ut eum voti obligatione liberet. Quod benè docet *Beja in ſuis reſponſis p. 2. caſu in ordine 9. notabili 2. qui eſt primus caſus ex propoſitis in congregatione habita feria 3. die 29. Maii, habetur in eo tomo, folio 81.* Ducor, quia ſubditus nequit ſua voluntate præjudicare ſpirituali ſuperiorum poteſtati, quæ eſt ad liberandum voti obligatione, diſpenſando in eo, id cauſa juſta ſuadente. At in hoc verſatur diſcrimen, quia irritatio poteſt ad ſuperioris libitum concedi validè invito vouente. Diſpenſatio autem non ſic poteſt concedi, nec regulariter, ſed ſolùm id expoſcente bono communi, aut alia urgentiſſima neceſſitate. Nec ſat erit ad diſpenſandum in eo voto cauſa, quæ eſſet ſufficiens ad diſpenſandum volente vouente. Quia ad cogendum ipſum diſpenſatione uti, multo urgentior cauſa deſideratur: cum ultra diſpenſationem concurrat ea coactio. Nec obſtant rationes contrariæ. Quia etſi regulariter diſpenſatio ſit beneficium, & favor ejus, cum quo diſpenſatur, ſicut etiam contingit in irritatione voti, & abſolutione ab excommunicatione: at quandoque id poſcente bono communi poteſt non in ejus beneficium concedi, ſed in beneficium boni communis. Nec obſtat etiam ultima ratio, quippe eadem prorſus militant in irritatione, dum enim ſubditus eam non acceptat, videtur quaſi novum votum emittere. Et ideò dicendum eſt id, ut rectè fiat & firmiter, tam in irritatione, quàm in diſpenſatione, debere fieri prohibendo ſimul illam voti materiam: ſic enim fiet, ut poſtea emiſſum votum de illa ſit irritum, tamquam de re illicita. Sicut *ipſemet Suarez ibidem* ait idem eſſe neceſſarium, ut irritatio fiat ſubdito invito.

27 Idem docet *Beja ibidem* de commutatione voti. At id non credo, & ita meritò eam invito vouente non poſſe fieri, tradit *Suarez eodem c. 1. num. 12.* Quia per commutationem transfertur eademmet voti obligatio in aliam materiam. At obligatio voti circa aliam materiam nequit contrahi abſque vouentis voluntate.

28 Quarta difficultas eſt. Quo jure hæc irritandi poteſtas competat ſuperioribus? Et quidem ſi de irritatione impropria, & indirecta loquamur, manifeſtum eſt ſuppoſita ſubjectione undecumque orta, eam jure naturæ competere ſuperioribus. Quia illa ſuppoſita, jus naturæ petit nil in illius detrimentum fieri, ac proinde eodem jure eſt integrum ſuperioribus non connivere ei damno, ſuſpendendo obligationem votorum ſibi præjudicantium ad tempus, quo eis non præjudicent: poteſt enim eo tempore ſuperior occupare ſibi ſubditum.

29 Tota autem difficultas procedit de propria, directaque irritatione, qualem omnes concedunt prælatis religionum, & ferè omnes patri reſpectu filiorum impuberum: & communis domino reſpectu ſervorum, patri reſpectu filiorumfamilias puberum, viro reſpectu uxoris. Quidam aſſerunt poteſtatem hanc eſſe ex jure naturali. Probatur in filiis impuberibus. Nam cum vinculum voti graviſſimum ſit, & judicium impuberum valde fragile, ac facilè in unam, & alteram partem convertatur, ratio naturalis dictat, ut arbitrium pueri pendeat à patris, ſeu tutoris vice ejus fungentis voluntate, in ejus votis confirmandis aut irritandis. De religioſis autem probatur, quia per voluntariam obedientiæ promiſsionem ita ſubduntur ſuo prælato, ut reſpectu ſuarum actionum, & diſpoſitionis ſuæ voluntatis, ſint tamquam pupilli ſub tutore. Atque ideò *c. Si religioſus de elect. in 6.* dicitur religioſos non habere velle, aut nolle, ſed à ſui ſuperioris arbitrio dependere: & ita conſuetudo omnium religionum interpretata eſt hanc ſubordinationem voluntatis religioſorum ad ſuum prælatum, ut nullam firmam obligationem contrahere poſſint abſque prælati conſenſu. Quod in votis fuit maximè neceſſarium: tum, quia præcipuè ſubjectio hæc eſt, ut dirigantur ad ea quæ ſaluti ſpirituali expedire, aut obſtare poſſunt,

inter

inter quæ maximum locum habet votorum obligatio, & eorum obſervatio: tum etiam quia non poſſent religioſi convenienter in ſpiritualibus gubernari, niſi hoc modo voluntas prælato ſubjecta ſit. De uxoribus autem poteſt probari. Quia *c. 30. Numeror.* dicitur vota uxoris pendere à viri arbitrio: & tamen hoc non eſt merè poſitivum, ceſſaſſet enim, ſicut reliqua merè poſitiva contenta illa lege Moſaica, ſed eſt explicatio juris naturalis: & ſic univerſi Doctores colligunt ex eo loco hanc ſubjectionem mulieris erga virum quo ad vota. Præterea quia per matrimonium ſubjecit ſe uxor jure naturali viri poteſtati, ut ab ipſo tamquam à capite gubernaretur. De ſervis etiam poteſt probari, quia ſuppoſita ſervitute comparat dominus jus, & dominium actionum ſervi. Et ideò ſic tradunt loquentes de his omnibus, *Sotus libro 7. de juſtit. quæſt. 3. art. 1. column. 3. verſic. Haud ergo, & verſic. Sciſcitaris autem, Aragon. ſecunda ſecundæ, quæſt. octuageſima octava, art. octavo, column. 7. verſiculo Tertiò eſt advertendum, Ovandus quarto, diſtinctione trigeſimaoctava, diſputatione unica, propoſitione vigeſimaſecunda, Sayro in clavi regia, libro ſexto, c. decimo, num. ſeptimo, in initio, & in fine, Azor. tomo 1. inſtit. moralium, libro undecimo, c. decimoſeptimo, Petrus de Ledeſma ſecundo tomo ſummæ, tractatu 10. c. ſeptimo dubio ſecundo, paulo poſt principium, in dicto tertio.* Et loquens de filiis impuberibus tenet *Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 7. c. 6. num. 2. & 3.* & loquens de religioſis tenet idem *eodem l. 6. c. 7. à num. 3. uſque ad 6.* Idem tenet loquens de parentum poteſtate, *Salas 1. 2. quæſt. 21. tractatu 8. diſp. unica, ſect. 25. num. 262. in fine.* Idem tenent loquentes de prælatis religionum, *Vega 2. tomo ſummæ c. 120. caſu 88. Corradus in ſuis reſponſis 2. p. q. 297. Manuel. 2. tomo ſummæ c. 89. num. 1. & quæſt. regularibus, tomo 1. qu. 25. art. 5.* Et videtur clarè id tenere de his prælatis, *Cajetan. 2. 2. qu. 88. art. 8. dubio 3. verſic. ad primum dicitur*. Fatentur tamen *Suarez eod. c. 6. num. 4. & Petrus de Ledeſma eodem c. 7. dubio ultimo in 5. dicto, & c. 8. in dubio ultimo, in ſolutione ad confirmandum ſecundum argumentum*, concurrere quoque legem humanam præſcribentem tempus, quo durat illa ætatis, & judicii imperfectio, ob quam poteſt pater ea vota ſic irritare. Quia ex jure naturali id deduci nequit, cum alii pueri tardiùs, alii celeriùs rationis uſu perfecto utantur; nec hoc erat arbitrio parentum relinquendum. Atque ideò jus humanum eum ætatis limitem præſcripſit, inſpectis iis, quæ frequentiùs accidunt.

30 Alii loquentes de religioſis, & de filiis tradunt hanc irritandi poteſtatem eſſe ex jure humano. Ducuntur, quia nullo pacto ex natura rei, ſive profeſſionis religioſæ, poteſt hæc poteſtas probari. Quippe nil horum tantam ſubjectionem, aut dependentiam voluntatis ſubditi à ſuperiori poſtulat, ut poſſit præcipere, aut interdicere actus internos. Ut dicemus *libro 6.* tractantes de voto obedientiæ. Quare totum hoc referri debet de juris humani diſpoſitione, quod in omnibus horum ſubditorum votis eam conditionem tacitè ineſſe præſcripſit, *niſi ſuperior contradixerit*. Sicut enim poteſtatis civilis eſt, formas contractuum præſcribere, ac decernere conditiones tacitè in eis intelligendas, quamvis à contrahentibus excogitatæ numquam fuerint. Ita poteſtatis eccleſiaſticæ eſt, ſtatuere eam conditionem tacitè ineſſe votis ſubditorum horum. Quia juſtiſſima ſic ſtatuendi cauſa ſubeſt, ut meliùs religioſi in vita ſpirituali à ſuis prælatis dirigantur: & ut immaturo impuberum judicio proſpiciatur. Quamvis autem id ſtatutum non expreſsè in jure inveniatur, deducitur tamen ex Eccleſiæ uſu. Ita docet *Leonardus lib. 2. de juſtitia c. 40. dub. 10. num. 74.* Atque idem loquens de votis religioſorum ſuſtinet *Vaſquez 1. 2. quæſt. 96. art. 4. diſp. 165. c. 4. num. 29.* aliter tamen id explicat; ait enim nullum jus dominativum prælatorum in religioſos excogitari poſse, præter juriſdictionem à jure poſitivo conceſſam. Quia non alia ratione domini voluntatum ſubditorum conſtituuntur, niſi quatenus juriſdictione ipſis à Pontifice conceſſa poſſunt eos ad regulæ obſervantiam, & votorum profeſſionis compellere, & ipſos tranſgrediente punire.

31 Sed contra utramque ſententiam aliqua militant. Contra priorem, quatenus attinet ad impuberes, urget. Quia aliud eſt, rationem naturalem dictare, aliquid eſſe conveniens, & aliud, id de jure naturali eſſe. Multa enim rationi conſentanea præcipiuntur quotidie jure humano, quæ numquam de jure naturali fuerant. Ergo ex ratione convenientiæ ſubjectionis impuberum voluntati parentis, non deducitur lex jure naturali eſſe poteſtatem irritandi vota eorum. Et confirmatur, quia ratio naturalis, & fragile impuberum judicium, plus poſtulat id remedium erga promiſſiones hominibus factas, utpote quæ aliis remediis deſtitutæ ſint, niſi ubi minor eſſet notabiliter læſus, in quo caſu eſt opus lite ad probandam læſionem: cum tamen in votis ſit facile diſpenſationis remedium. At promiſſiones homini ab impuberibus factæ nequeunt à parentibus irritari. Ut conſtat in ſponſalibus, quæ adeò firmata ſunt, ut ſolis ipſis impuberibus integrum ſit reſilire, & id non ſemper, ſed ubi primum ad pubertatem accedunt. Ut latè probavi *lib. 1. de matrim. tota diſp. 51.* Et pupillus cum homine contrahens obligatur naturaliter, juxta communiorem, ac veriorem ſententiam: ut *probavi lib. 6. de matrimon. diſp. 38. n. 21.* Quæ obligatio irritari à patre nequit. Et filiusfamilias pubes independenter à patre obligatur homini, naturaliter, & civiliter. Ut probavi *eodem lib. 6. diſp. 39. num. 1.* Cum tamen ſecùs ſe habeat in votis realibus. Quæ omnia ob diſpoſitionem juris civilis ita ſtatuentis ſunt. Ergo convenientia naturalis ob imperfectionem judicii impuberum non ſatis eſt ad aſſerendam hanc poteſtatem de jure naturali. Quòd autem ſubjectio naturalis erga parentes ad id non ſufficiat, probant etiam rationes prædictæ, cum ſubjectio naturalis non aliter ſit erga promiſſiones Deo, quàm hominibus factas, ſi jus humanum excludamus. Præterea quia ſubjectio naturalis ſolùm irritationis impropriæ, ſeu ſuſpenſionis jus tribuit, quando votorum executio ſubjectionem illam impedit, juxta dicta *num. 28.* Tandem quia quoties obligationem indefinitam juris naturalis, & Divini poſitivi determinat jus humanum, dicitur abſolutè, & ſimpliciter obligatio de jure humano, & ita poteſt diſpenſatio Pontificis in illam cadere, tamquam in jus humanum. Ut conſtat in præcepto confeſſionis quadrageſimalis, & ſervandi alicujus feſti. Ea enim determinatio eſt tamquam forma dans eſſe, & denominationem præcepto. Ergo etſi daremus poteſtatem irritandi vota eſſe ex jure naturali, cum tamen ea ſit indefinita, & determinatio ætatis ſit ex jure humano, dicetur conceſſio hæc abſolutè, & ſimpliciter ex jure humano. Quod ad religioſos autem urget, quia quamvis obedientiæ voto poſſit quiſpiam ſe ita alteri adſtringere, ut nullum votum independens ab ejus voluntate valeat licitè emittere, at non poteſt ſecluſa juris eccleſiaſtici determinatione, ita voluntatem ſuam alteri alligare, ut quamvis poſtea velit, nequeat validè, & ita firmiter aliquid vovere, quod ſuperior irritare nequeat. Ut dicemus *numero 37.* Ergo ex jure eccleſiaſtico eſt hæc infirmitas votorum, & dependentia ex ſuperioris voluntate. Præterea quia juxta veriorem ſententiam ſubſtantia voti ſolemnis non conſiſtit in traditione, nec votum ſolemne ex jure naturæ, ſed ex ſolo eccleſiaſtico habet irritum reddere, quod contra illud fit. Et juxta omnes id conſtat in votis ſimplicibus quæ tamen quando auctoritate Pontificia approbantur tamquam conſtituentia verum ſtatum religioſum, ut in Soc. Jeſu, ſat ſunt ad hanc irritandi poteſtatem competentem ſuperioribus: ut ſuo loco probavimus. Ergo poteſtas hæc in religioſorum vota eſt ad jus humanum referenda. Item quia ea ſubjectio ſolum arguit poteſtatem irritandi imperfectè, ſeu ſuſpendendi vota, quatenus obſtant obedientiæ à religioſo debitæ pro tempore, quo obſtant: Ergo poteſtas irritandi perfectè competit ex jure humano. Tandem quia religioſi per votum obedientiæ non ſubſunt quo ad omnes actiones ſuperiori, nec omnino habent velle, & nolle, ſed tantùm ſubduntur quo ad actiones ſecundùm regulam: & ideò ſuperior eis nequit univerſa præcipere, nec omnia prohibere. Ergo ex obedientia voto debita à religioſis non deducitur ea poteſtas in ſuperiori, irrita reddendi univerſa eorum vota. Quo ad ſervos autem, & uxores, & filiosfamilias puberes, conſtat ex ea ſubjectione ſolam ſuſpendendi vota poteſtatem, quatenus nocent illi, deduci. Demum contra poſteriorem ſententiam urget, quia jus humanum, utpote, quod non habet dominium voluntatis ſubditorum, nequit vota irritare. Et ita *numero decimo octavo* probavimus de Pontifice. Non ergo poterit eam facultatem alicui concedere.

32 Sed conformiter poſteriori ſententiæ loquens, nec rejiciens priorem, cenſeo fundamentum, & radicem hujus poteſtatis eſſe ex jure eccleſiaſtico, ſic per uſum declaratur: at eo fundamento poſito, cenſeo poteſtatem hanc eſſe ex jure divino naturali. Quod ſic explico. Fundamentum hujus poteſtatis aſſignatur ab omnibus, ut infra explicabimus, quòd horum omnium ſubditorum vota, quæ irritari poſſunt, nempe, religioſorum, filiorum impuberum, & puberum, & ſervorum, & uxorum, habeant implicitam conditionem, *niſi ſuperior contradixerit, aut ſi ille contradixerit o aut ſi ille conſenſum præſtiterit*. quæ conditiones ſunt ſolo jure eccleſiaſtico incluſæ tacitè in his votis, ut optimè explicuit poſterior ſententia relata *num. 30.* & ſuppoſitis illis conditionibus imbibitis in hujuſmodi votis, de jure naturali eſt libertas in ſuperioribus ad non ponendas eas conditiones, negando aſſenſum, aut contradicendo. Sicut ſi aliquis promitteret ſub conditione, *ſi Petrus voluerit*, conditio illa eſt poſita voluntate humana, at ea ſuppoſita competit Petro jure naturali libertas denegandi conſenſus. Similiter inſtitutio beneficii, conſecratio calicis, benedictio aquæ ſunt jure humano inſtituta; at ſuppoſito hoc jure eſt eorum venditio jure divino naturali vetita. Et ſicut hæc prohibitio dicitur abſolutè de jure divino naturali, etſi ſupponat tamquam fundamentum aliquid juris humani: ita abſolutè, & ſimpliciter, dicitur poteſtas hæc irritandi vota competere his ſuperioribus, ex jure naturali divino etſi fundetur in quadam juris humani conſtitutione. Et hinc ceſſant omnes objectiones adductæ *n. præc.* præter ultimam contra poſteriorem ſententiam, cujus ſolutio conſtabit ex dicendis *nu. ſeq.* Sed dices, ſuppoſita ſubjectione imbibi jure naturæ eas conditiones, ne ſubjectioni præjudicetur. Sed jam dixi *nu. præced.* id verum eſſe, quo ad ſuſpendendi potentiam.

33 Hinc deducitur primò poſſe jus eccleſiaſticum prorogare, aut coarctare terminum illius ætatis impuberum, ut integrum ſit parentibus, perſonalia eorum vota irritare. Conſtat, quia hæc ætatis determinatio eſt de jure humano.

Et

Et ita docet *Suarez tomo 2. de relig. tractatu de voto, libro 3. c.3. num.*9. imò quamvis jus eccleſiaſticum nequeat irritare directè vota ſæcularium, poteſt tamen ex juſta cauſa ſtatuere, ut votum non ſit firmum, niſi dependenter à Pontificis voluntate, aut alterius: & tunc Pontifex, aut ille alter poterit irritare. Sicut eas conditiones appoſuit votis religioſorum, uxorum, filiorum, & ſervorum, juxta dicta *numero præced.* & ideò poſſunt illi irritare. Sicut princeps ſæcularis poteſt ex juſta cauſa eas conditiones apponere contractibus.

34 Secundò deducitur, quid dicendum de poteſtate infidelium ad irritanda vota ſibi ſubditorum, ut filiorum uxoris, ſervorum. Et præmitto, quamvis vota infidelium emiſſa ſuis Diis ſint irrita, & actus idololatriæ: ut benè tradit *Suarez eodem tract. de voto, lib.*4. *c.* 8. *num.*2. poſſe tamen valida vota Deo vero lumine naturali cognito emittere. Ut *idemmet* tradit *eodem tractatu, libro* 3. *c.* 2. *num.* 9. Quando ergo valet votum, cenſeo non eſſe hanc facultatem irritandi apud illos: niſi legibus eorum, aut conſuetudine inductum ſit apud eos, ut hujuſmodi vota, vel Diis ſuis emiſſa, quæ ex conſcientia eorum erronea ipſos obligant pendeat ex ſuperiorum conſenſu. Hoc apertè colligitur ex traditis *nu.*32. ubi juncto *nu.*31. probavimus non ex ſolo jure naturali hanc poteſtatem eſſe, abſque juris humani adminiculo.

35 Tertiò deducitur, quantumvis quiſpiam non effectus religioſus emittat tria religioſorum vota in manibus alicujus prælati, non integrum huic fore vota illius irritare, ſicut nec illum cogere ad vota obſervanda, & ob eorum tranſgreſſionem punire. Quia per illam ſubjectionem non eſt jure eccleſiaſtico inductum, ut aliqua juriſdictio in vouentem acquiratur, nec vota tacitam conditionem habeant pendentem ex illius prælati conſenſu. Et ita docet *Vaſquez prima ſecunda quæſt. nonageſima ſexta, articulo quarto, diſputatione* 165. *c.* 4. *n.*25. ubi dicit per hæc vota non acquiri juriſdictionem, juncto *numero vigeſimonono*, ubi tradit mediante ſola hac juriſdictione poſſe prælatum irritare vota religioſorum.

36 Poteſt tamen quiſpiam propria voluntate ſe ita alteri ſubjicere, ſtatuendo, ut ſuis votis ea inſit conditio, *niſi ille contradixerit*. Ut ſi quiſpiam proclivis, & facilis ad temerariè vovendum, proteſtetur coram Deo ſe nolle votis à ſe emittendis obligari, niſi confeſſarius illa approbaverit, aut ſi ille contradixerit. Et tunc dum prior illa voluntas non fuerit mutata, poterit illa vota hujus irritare. Quia cum tota voti obligatio ex propria vouentis intentione conſurgat, poteſt vovens, abſolutè, aut cum aliqua conditione ſe obligare. Atque ita docent *Leonardus libro* 2. *de juſtitia c.*40. *dubio* 10. *n.*76. *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto, libro* 6. *c.* 1. *num.*8.

37 At nequit quovis propoſito, aut proteſtatione, ſuis votis futuris eam conditionem apponere, quin poſſit poſtea validè reuocare. Quia ſemper poſterior voluntas efficax eſt ad priorem reuocandam, nec poteſt homo hac ſe poteſtate priuare, niſi aliunde priuetur. Et ita docent *Leonardus ibidem, & Suarez eodem tractatu de voto, lib.*4. *c.*16. *num.*5. ubi limitat, niſi priori illa voluntate rem aliquam ita alienet, ut jam non maneat ejus dominus. Quod ex ſe patet, nam ſi rei illius non maneat dominus, nequit reuocare. *Leonardus* etiam limitat, niſi ſe quo ad aliquam voti materiam ita per obedientiæ votum ſubjecerit, ut in ea re non ſit ampliùs ſui juris. At non intelligo, qualiter hoc ex vi ſolius voti fieri poſſit, cum non obſtante eo maneat dominus: nec id votum extra ſtatum religioſum ſufficiat. Ut diximus *num.*35.

38 Addit etiam *idem Leonardus ibidem*, non cenſeri eam voluntatem mutatam, niſi vouens reuocarit expreſsè illam, vel niſi ita ſit affectus, dum vouet, ut ſi recordaretur illius conditionis, nollet eam in hoc voto vim habere. At hic poſterior reuocationis tacitæ modus diſplicet mihi. Quia affectus ille non inducit contrariam voluntatem, ſed ſolam prioris voluntatis reuocationem habendam, ſi illius memoria tempore voti occurreret. Sicut legatum in teſtamento relictum vim habebit, ſi expreſsè revocatum non ſit quamuis tempore codicilli teſtator ita affectus eſſet, ut illius memor revocaſſet, niſi adſint rationes; ob quas jure inductum eſt, illud tacitè reuocari. Et ita *libro* 7. *de matrimon. diſp.* 90. *num.*11. *ad finem*, ex multis probaui, non cenſeri à teſtatore diſpoſitum, quod interrogatus, vel advertens diſpoſuiſſet.

39 Quinta difficultas eſt. An facultas irritanti vota commutandive, aut in eis diſpenſandi, extendatur ad vota merè interna? Quidam, quos tacito nomine refert *Vaſquez* 1. 2. *qu.*96. *art.*3. *diſp.* 160. *capite* 4. *num.*17. negant. Et ipſe videtur ſentire id eſſe probabile, tantùm enim vocat oppoſitum probabilius. Et loquens de diſpenſatione id tenet *Ledeſma* 2. *parte* 4. *quæſt.*16. *articulo* 6. *ubi de poteſtate eccleſiæ circa actus internos: Et Aragon.* 2.2. *quæſt.* 11. *artic.* 3. *fol.*342. *columna* 2. *verſiculo. Ad ſecund. argumentum.* limitans, quando votum eſt internum, & de actu interno, ſecùs autem ſi ſit internum, at de actu externo, aut ſi interius, & de actu interno, manifeſtatur tamen aliquo ſigno. Et videtur tenere *Bannez* 2. 2. *quæſtione* 11. *articulo* 4. *in ſecundo argumento contra ſecundam concluſionem*, ait enim, cum Pontifex diſpenſat in voto interno, jam illi aperiri votum, quaſi ſupponens non poſſe, niſi illi aperiatur. Ducunturque, quia juxta veriorem ſententiam, Eccleſia caret poteſtate in actus merè internos. Quòd ſi dicas id verum eſſe de juriſdictionis poteſtate, ſecùs autem de dominatiua; id non ſatisfacit, tum quia diſpenſatio, & commutatio ſunt actus juriſdictionis ſpiritualis: tum etiam quia per votum obedientiæ non ſubjiciuntur religioſi ſuo prælato, quo ad actus merè internos, & ideò illos nec præcipere, nec interdicere valet: Ut *libro* 6. tractantes de voto obedientiæ dicemus. Præterea de commutatione urget etiam alia ratio. Quia cum obligatio voti nequeat oriri, niſi ex propria vouentis voluntate, & in commutatio tranſeat eadem voti obligatio circa priorem materiam in aliam ſubrogatam, nequit ſuperior commutare, niſi ſubditus ei votum aperiat, illud commutationi ſubjiciens. Et confirmatur, quia in commutatione imponitur obligatio ad materiam priori ſubrogatam, & ſic præceptum de illa. At nulla poteſtas humana id poteſt circa actus internos. Inſuper materia ſubrogata debet eſſe priori æquivalens. At ſuperior ignarus materiæ promiſſæ interiùs nequit hanc æqualitatem judicare.

40 At dicendum eſt, eam irritandi, diſpenſandi, ac commutandi poteſtatem extendi ad vota quantumuis interna. Quamuis enim ſuperior ignoret votum, dum ſibi non manifeſtatur, quod idem in voto externo contingere poteſt: at poteſt ſub conditione dicere ſubdito, *ſi emiſiſti hoc votum illud irrito, aut in eo diſpenſo, aut id commuto in talem rem.* Et omiſſis aliis differentiæ rationibus, quæ aſſignari ſolent, quæ plus placet, eſt. Quia aliud eſt, jubere, ſeu prohibere, aliud autem obligatione liberare. Prius enim cum ſit onus, ac de re illa legem aut præceptum imponere petit poſſe de re illa judicare, & ad illam cogere tranſgreſſionemque punire: quæ nulli humanæ poteſtati reſpectu actuum purè internorum conceduntur. Poſterius autem cum nullum onus imponat, ſed eo liberet, non indiget poteſtate legis, aut præcepti ferendorum circa illa, & cogendi, ac puniendi, ac proinde tamquam quid fauorabilius conceditur ſuperioribus circa actus internos. Et ex hac ratione colligitur ſolutio primæ rationis contrariæ. Ad alias autem dico, probare eam commutationem non ſortituram ſuum effectum, donec vouens eam acceptet, & ſubinde obligetur ad materiam ſubrogatam: at ex parte ſuperioris commutantis erit omninò valida, nec novum onus imponit, ſed eamdem voti materiam in aliam transfert. Et licèt ſuperior ignoret æqualitatem materiæ ſubrogatæ, dum prioris materiæ promiſſæ eſt inſcius: at poteſt ſic commutare. *Commuto in materiam, quam talis perſona docta judicaverit eſſe æqualem.* Et ideò hanc ſententiam loquentes de diſpenſatione, tenent *Adrianus quodlibeto* 8. *art.* 1. *Joannes à Metina tractatu de oratione, quæſt. de poteſtate Eccleſiæ reſpectu actuum internorum in ſolutione ad* 3. *Corduba in ſuo quæſtionario, libro* 4. *quæſtione* 13. *in quarta ratione ſecunda ſententia, Vaſquez num. præcedenti* relatus, *Suarez* 5. *tomo in* 3. *parte diſput.* 4. *ſectione* 2. *numer.*10. Et loquens de commutatione tenet idem *Vaſquez ibidem*. Et loquentes de irritatione tenent *Adrianus, Vaſquez, Suarez ibidem num.* 8. *&* 9. *& tomo* 2. *de religione, tractatu de voto, lib.* 6. *c.* 7. *num.* 8. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſummæ, tractatu* 10. *c.* 7. *dubio ultimo, dicto* 1. *& in ſecunda probatione prioris partis dicti illius, Bannez* relatus *num. præcedenti, Corradus in ſuis reſponſis* 1. *parte quæſt.* 299. Idque verum eſt, etſi votum illud interius ſit de re merè interna. Quia rationes adductæ idem probant. Et ita loquentes de irritatione tenent *Bannez, ibidem, Suarez* loquens de Prælatis religionum *eodem cap.*7. *numero octavo*. Et idem poſſunt alii ſuperiores, qui habent poteſtatem irritandi omnia vota: vel qui ſola eorum dominio nocentia, ſi vota de re interna nocerent. Ut ſi ſervus voueret ſe quotidie vacaturum orationi mentali quatuor horas. Quod enim dicimus in præſenti, eſt ex ea parte, qua de re interiori, & vota ſunt interna, non obſtare poteſtati irritandi.

41 Sexta difficultas eſt. An Pontifici, Epiſcopo, & ſuperioribus fungentibus poteſtate dominativa, integrum ſit, antecedenter vota irritare, ideſt, vota in poſterum emittenda? Et incipiendo à Pontifice, & Epiſcopo manifeſtum eſt, eos non poſſe irritare vota in poſterum emittenda, quæ juxta dicta *numero decimo octavo, & quatuor ſequentibus*, ſemel facta irritare nequeunt, ſi de irritatione propriè loquamur, quæ nimirum, ad ſui valorem nullam cauſam poſtulat. Quia hæc irritatio eſt ſimiliter actus poteſtatis dominativæ, ſicut irritatio votorum factorum.

42 Si autem ſoquamur de annullatione voti in poſterum emittendi, ſtatuendo aliquas conditiotes, quibus non ſervatis votum non ſit irritum, & hoc ex juxta cauſa: de fide eſt poſſe Pontificem irritare vota ſolemnia in profeſſione emittenda. Conſtat, quia Eccleſia irritavit profeſſionem factam ante pubertatem *c. Ad noſtram, de regular. & c.* 1. *&* 2. *eodem titulo in* 6. *& Tridentinum ſectione* 25. *de regular. cap.*15. irritavit profeſſionem factam ante decimum ſextum annum, & ante completum novitiatus annum. Nec potuit Eccleſia errare in re tam gravi pertinente ad totius Eccleſiæ mores. Conſtat etiam, quia etſi matrimonium ſit jure naturali conceſſum, potuit Eccleſia ex juſta cauſa impedimenta dirimentia ſtatuere. Atque in eo eſt urgentior du-

bitan-

bitandi ratio, eò quòd ſit ſacramentum; at ſacramentorum materias, & formas nequit Eccleſia variare: potuit tamen matrimonium irritare, irritando contractum prærequiſitum ad ſacramenti rationem. Poteſt ergo à fortiori ſtatuere impedimenta dirimentia futuram profeſſionem, quæ ſacramentum non eſt, irritando traditionem ex parte profitentis, & acceptationem ex parte religionis, petita neceſſariò ad ejus valorem.

43 Atque non tantùm poteſt id efficere ob defectum alicujus conditionis ad profeſſionem requiſitæ, ſed etiam inhabile reddendo aliquod perſonarum genus ad profeſſionem imò aliquam peculiarem perſonam, quando urgens cauſa id poſtularet. Quod probant rationes, quibus id probauimus in matrimonio, *libro* 7. *de matrim. diſp.*1. *numero ſeptimo, & octavo*. Cum in eo ſit multò urgentior difficultas, propter jus naturale concedens id omnibus concupiſcentiæ remedium, ac ſobolis procurationem. Et ita Sixtus V. in quodam motu proprio revocato poſtea per Clem.VIII. reddidit inhabiles ad profitendum illegitimos, & quoſdam criminoſos. Atque idem eſt dicendum de votis ſimplicibus Societatis Jeſu, per quæ emittentes illa fiunt veri religioſi. Quia in illis quoque eſt traditio ex parte vouentis, & acceptatio ex parte religionis. Et ita benè docet *Suarez tom.* 2. *de religione, tractatu de voto lib.*3. *c.* 3. *num.*6. Qui *numero ſeptimo*, benè etiam docet poſſe ſimiliter irritari vota ſimplicia, quæ profeſſi Societatis Jeſu emittunt poſt profeſſionem. Cum enim emittantur, ut adnexa, & acceſſoria profeſſioni, irritata hac, reddentur quoque illa irrita.

44 De aliis autem votis ſimplicibus major urget difficultas, eò quòd in illis non reperiatur contractus aliquis, in quem poſſit Eccleſia. At dicendum eſt, poſſe utique idem circa ea, id cauſa juſta poſtulante, & hoc, ſive vota ſint externa, ſiue interna. Conſtat, quia ad valorem voti exigitur actus humanus, quo velit vouens ſe Deo adſtringere, & initur quidam contractus cum Deo, ſicut in promiſſione humana cum homine. At actus humani ſubjacent poteſtati Eccleſiæ, & poſſunt ex juſta cauſa ab illa impediri quo ad obligationem ſibi imponendam in rebus ſpiritualibus. Sicut pendent à poteſtate ciuili ad imponendam ſibi obligationem in contractibus ciuilibus: & ita hæc irritat aliquas promiſſiones humanas. Et confirmatur, quia juxta probabiliorem ſententiam, quam ſupra ſuſtinuimus ſolo eccleſiaſtico jure ſunt irrita vota facta ex metu cadente in virum conſtantem: & licèt altera opinio id neget, non id defectu poteſtatis negat, ſed intendens id eſſe ex jure naturali. Et quamvis vota eſſent interna, ac de rebus internis, jam *nu.* 40. oſtendimus eſſe ad hoc poteſtatem in Eccleſia. Atque ita docent *Suarez tomo* 5. *in* 3. *p. diſp.*4. *ſectione* 2. *num.*9. *& tomo* 2. *de religione, tractatu de voto lib.* 3. *à nu.* 8. *uſque ad* 12.

45 Ex his deducitur non valere hanc irritationem abſque cauſa legitima factam, ſicut nec diſpenſationem. Quia neutra pertinet ad poteſtatem dominativam, cujus eſt validè ad libitum operari, ſed eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, & non circa legem humanam, ſed circa divinam naturalem. Præterea quia hac ratione probauimus *lib.*7. *de matrimonio, diſputatione prima num.*6. non poſſe validè Pontificem ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia abſque cauſa legitima: Et ita benè docet *Suarez eodem cap.* 3. *numero* 14.

46 Atque ſi ſolùm jus divinum naturale ſpectemus, poſſet Epiſcopus in ſua diœceſi hæc impedimenta ſtatuere, tam circa profeſſionem, quàm circa vota ſimplicia. Sicut de impedimentis matrimonii probauimus *libro* 7. *de matrim. diſp.*1. *num. ultimo*. At ſicut *ibi* diximus, attenta conſuetudine id non poſſe circa matrimonium, ita de votis ſolemnibus eſt dicendum. Et ſic tamquam certum admittit *Suarez eo c.*3. *numer.* 12. ubi de votis ſimplicibus id etiam dicit eſſe probabilius: quaſi contrarium ſit probabile. At ego nullatenus id tamquam omnino inuſitatum auderem epiſcopis concedere: quamuis fatear nullam ad id denegandum rationem urgere.

47 Quòd ſi petas, an de facto ſit aliqua hujuſmodi irritatio votorum ſimplicium? Reſpondeo eſſe quidem, attenta ſententia, quam ſuperiùs amplexi ſumus, dicente, vota ſimplicia emiſſa metu cadente in virum conſtantem eſſe irrita ſolo jure eccleſiaſtico. An verò ratione ſubjectionis ſint irrita aliqua ſubditorum vota, emiſſa abſque expreſſa licentia, eſt tractandum *c. ſeq.* ubi partem negantem tuebimur.

48 Si verò loquamur de irritatione propria, quæ actus eſt poteſtatis dominativæ, *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto l.*3. *c.*6. *num.*25. loquens de prælatis religionis ait, ſe non dubitare, quia per legem, ſeu ſtatutum legitima poteſtate facta in tali religione, poſſit id fieri, propter ſpecialem ſubjectionis modum, & obedientiæ, quem religioſi profitentur: non videri tamen eſſe in uſu talem conſtitutionis modum, nec regulariter expedire: ac ſecluſa lege irritante non videri poſſe prælatos privata auctoritate id efficere. Quia nullibi eſt illis conceſſa hæc poteſtas: nec ex vi religionis, obedientiæ, aut profeſſionis in ea emiſſæ ſequitur. Non ſat eſt, ùt poſſint talia vota ſemel emiſſa irritare.

49 At *ipſemet Suarez eod. l.*3. *cap.*3. *num.*15. *in fin.* dixerat, illum, qui poteſt irritare vota facta per poteſtatem dominativam, poſſe antecedenter id facere per eam poteſtatem. Quod mihi valde placet, non ſolùm in Pontifice reſpectu religioſorum, ſed in quocumque etiam religionis prælato, & in quibuſcumque fungentibus poteſtate dominatiua ad irritanda ſubditorum vota. Ducor, quòd ea vota eſſe nequeant valida, & firma, niſi dependenter à tacita conditione in eis imbibita, *ſi ſuperior conſenſerit, aut non contradixerit.* Cum ergo obligatio pendeat ex ſuperioris voluntate ad libitum volentis, aut contradicentis: cur ſicut poteſt poſtea auferre conditionem illam, ſeu illam non ponere, non poterit etiam validè antecedenter id facere, auferendo conditionem, ſine qua votum valere nequit? Et confirmatur, quia multò difficilius diſſoluitur vinculum poſt factum, quàm antea. Si ergo vota ſemel facta poſſunt ab his ſuperioribus reddi irrita, auferendo conditionem, poterunt etiam antecedenter id eodem modo facere, nempe, declarando ſubditis ſuam voluntatem eſſe, nolle ponere eam conditionem. Præterea, quia ideo vouens poteſt quaſcumque conditiones honeſtas ſuis votis nondum emiſſis apponere, quia obligatio pendet ex ejus voluntate. Ergo cum obligatio voti ſubditi pendeat ex conditione ponenda ad ſuperioris libitum, poteſt ſuperior antecedenter eam conditionem auferre. Nec ad hoc oportet, alicubi eſſe his ſuperioribus poteſtatem conceſſam: quia ipſa dominativa poteſtas, dummodo per poteſtatem aliam ſuperiorem non coerceatur, ſecum affert hoc jus, ſicut & jus irritandi vota jam facta. Imò quamvis regulariter hæc irritatio antecedens non expediat: at ſæpè ſubditi ita urgentur ſcrupulis circa imaginationes votorum à ſe emiſſorum, quos non paucos reperi, ut ad eorum conſcientias pacandas expediat hæc irritatio antecedens. Nec enim ſemper poſſunt præ manibus habere ſuperiorem, ut poſtea irritet vota: ac moleſtiſſimi illi erunt, paſſim eum adeundo: nec audebunt ita moleſti eſſe.

50 Quidquid tamen de hoc ſit, id conſtat, poſſe ſuperiores hoc efficere, nempe, interdicere ſubditis, ne ipſis inconſultis vota emittant. Quippe id non eſt opus perfectionis impedire, ſed modum prudentiùs vota emittendi præſcribere. Et ita docent *Suarez tomo ſecundo, de religione tractatu de voto, libro tertio, capite ſexto, numero vigeſimo quinto.*

51 Quòd ſi quæres, an vota contra hujuſmodi interdictum emiſſa ſint eo ipſo irrita? Id videtur aſſirmare *Ricardus* 4. *diſt.*38. *art.*4. *q.*2. ubi ait, eos, quibus ſic vouere interdicitur, non poſſe ea promittere, quæ vouere prohibiti ſunt. Et reddit hanc rationem. Quia Deus non acceptat obligationem contractam adversùs ſuperioris præceptum. Et poteſt ampliùs ſuaderi, quòd interdicto voto orationis emittendo, cenſetur quoque oratio ex voto facienda interdici: & ſic non erit apta voti materia.

52 Votum abſque dubio dicendum eſt, quando ſuperior ſolum vouendi actum interdicit, nil circa materiam voti diſponens, culpam eſſe vouere contra id præceptum, at votum eſſe validum. Quando autem materia eſt interdicta per regulas, aut ſuperiorem, dicetur *c. ſeq.* Et ratio eſt clara, quia ad voti valorem ſatis eſt materiam, eſſe Deo gratam, etſi modus vouendi illi diſpliceat. At quando prohibitio in ſolum hunc modum cadit, cum materiam non afficiat, non deſinit illa eſſe Deo accepta. Præterea quia ſponſalia, & matrimonium inita contra Eccleſiæ interdictum, ubi decretum irritans non additur, ſunt valida. Ut probaui *lib.*7. *de matrimon. diſp.*2. *numer.* 9. *&* 10. Quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta valent *c. Ad Apoſtolicam de regular.* Nec obſtant contraria. Non primum, quia etſi tunc Deus non acceptet modum, acceptat tamen materiam illam, tamquam non vetitam. Nec etiam ſecundum nam licèt interdicens votum orandi, interdicat ſubinde orationem, tamquam in radice, & remotè, quod non aliud eſt, quàm interdicere votum orandi, quod eſt illius obligationis radix: at non interdicit formaliter, & in ſe orationem ipſam; quod neceſſarium eſt, ut ſit inepta voti materia. Et ita docet *Suar. eodem libro* 3. *cap.* 2. *num.* 12. *& c.*6. *num.*25.

53 Septima difficultas eſt. An ſuperioribus hac poteſtate dominativa fungentibus integrum ſit, eam alicui delegare? Et quidem certum videtur poſſe illos irritare vota, quæ quidam tertius ab ipſis, vel ab alio deſtinatus irritanda judicarit, aut voluerit. Quia tunc nulla irritandi poteſtas delegatur, ſed ipſimet ſuperiores tunc irritant, ſub illa conditione, & ſola voluntas, & arbitrium illi tertio relinquuntur. Quare ſicut poteſt ſuperior abſolutè irritare, ita quoque ſub illa conditione. Et hic eſt tutiſſimus irritandi modus, quando ſuperior non vult per ſe ipſum irritare, aut quando confeſſario religioſorum vult facultatem irritandi vota eorum concedere, ne opus illi ſit ſuperiorem adire.

54 Sed difficultas eſt, quando ipſe ſuperior non irritat, ſed irritandi poteſtatem delegat? Videtur enim id fieri non poſſe. Quia nequit alterum efficere dominum voluntas ſui ſubditi, non conſtituendo illum abſolutum ſuperiorem, quando ſic conſtituere poſſet. Secundò, quia cum uſus hujus poteſtatis non ſit actus juriſdictionis, ut diximus *nu.* 5. videtur non poſſe delegari. At exiſtimo, poſſe delegari. Quia hoc nil aliud eſt, quàm poteſtatem irritandi actus geſti abſque domini conſenſu committere, quam quidem qui-

libet

libet dominus concedere poteſt ad reſcindendam rei ſuæ alienationem ipſo inconſulto factam. Et non obſtant contraria. Quippe hoc non eſt abſolutè conſtituere dominum, ſed vices ſuas committere ad reſcindendum illum actum. Nec ſoli juriſdictionis actus delegari valent. Et pro hac ſententia eſt clarè *Leonardus lib. 2. de juſt. c. 40. dubio 13. nu. 107. §. Abbatiſſæ*, dicit enim eas poſſe monialium vota irritare ex formali, vel virtuali ſuorum prælatorum conceſſione. Et *Suar. 2. tomo de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 6. n. 23.* ubi dicit fundari in præſumpta parentum voluntate, ut illis mortuis, & tutore deficiente poſſit quicumque impuberem gubernans vota ejus irritare. Et meliùs facit *eod. l. 6. c. 7. n. 17.* ubi ait vicarios ſuperiorum non fungentes plena eorum poteſtate, niſi habeant delegatam ab ipſis facultatem, carere poteſtate irritandi vota.

55 Hæc autem facultas validè conceditur ab his ſuperioribus excommunicatis non toleratis. Quia cum irritare non ſit actus juriſdictionis, ſed cujuſdam dominii, ita ea delegatio non eſt actus juriſdictionis, ſed ſola licentia ſive mandatum poteſtatis dominativæ ſubſtituentis ſuas vices ad ea vota reſcindenda. Sicut valeret poteſtas ab his conceſſa reſcindendæ alicujus alienationis rei ſuæ. Qua ratione defendimus *libro 3. de matrimonio diſput. 21. numero ſeptimo* validam eſſe licentiam aſſiſtendi matrimonio, conceſſam à parocho excommunicato non tolerato: quòd non ſit actus juriſdictionis.

56 Octava difficultas eſt. An vota, quæ ſubjiciebantur poteſtati irritandi, diſpenſandi, aut commutandi, in defuncto, ſubjiciantur eidem poteſtati, in ejus vouentis hæredibus? Verbi gratia filiusfamilias votum reale emiſerat, quod à patre poterat irritari, aut in eo poterant prælati diſpenſare, idque commutare. Obiit his ſibi non conceſſis, & inſtituit quemdam hæredem tertiæ partis adventitiorum ut poteſt in hoc regno, vel ex patris licentia, omnia illorum. Dubitatur ergo, an hic hæres, in quem tranſit obligatio illius voti realis, poſſit his remediis juvari? Et videtur poſſe, eò quòd tota hæc obligatio ex voti vinculo profecta ſit. Votum autem hoc triplici modo diſſolvi poteſt:

57 At dicendum eſt, nil ex his fieri poſſe. Ducor quòd illa voti obligatio, tamquam perſonalis, ſi prorſus extincta morte vouentis, tranſieritque illius implendi obligatio in hæredem, ex ſolius juſtitiæ; & quaſi contractus cum defuncto vinculo. Ut ſupra agentes de hoc diximus, ſicut tranſit ad hæredem obligatio ſolvendi alia defuncti debita. At hæc remedia non cadunt in obligationem juſtitiæ; ſicut nec in obligationem aliorum debitorum.

58 Imò quamuis non deſint Auctores aſſerentes poſſe legata pia auctoritate Epiſcopi, hæredisque conſenſu, converti in uſum magis pium, eſto illa opinio eſſet vera, (de qua re non eſt præſentis negotii diſputare,) non haberet locum in noſtro caſu. Quia obligatio hæredis ad ſolvenda ea legata oritur ex gratioſo teſtatoris præcepto, quo hæres ea ſolvere juſſus eſt. At in noſtro caſu non oritur ex gratioſa defuncti voluntate; ſed quia erat ejus ex voto debitum, & omnia debita realia tranſeunt in hæredem. Et ideò cum hoc non ſit legatum gratioſum, non comprehenditur in ea doctrina.

59 Ultima difficultas eſt. An ſicut hi ſuperiores poſſunt vota ſubditorum irritare, poſſint quoque ſua, vel ſaltem ſuis confeſſariis committere, ut illa irritent? Videtur pars affirmans inde ſuaderi. Quia ſuperiores poſſunt ſecum diſpenſare in omnibus illis, in quibus poſſunt cum ſubditis. Ut *libro octavo, de matrimonio, diſputatione 3. num. 6.* probavimus. Cum tamen diſpenſare ſit actus juriſdictionis, quam nemo poteſt exercere in ſeipſum. Præterea quia *ibi numero tertio* probavimus, poſſe hoc ſuis confeſſariis committere, ut cum illis diſpenſent, ſicut ut eos abſolvant.

60 At omninò negandum eſt, poſſe hos ſuperiores propria vota irritare, quæ à ſubditis emiſſa, irritare poſſent aut confeſſario ſuo committere, ut illa irritent. Ratio eſt clara, quia ratione dominii abſoluti in voluntatem ſubditorum, aut circa materiam promiſſam, ineſt iis votis conditio tacita, *ſi ſuperiores hi conſenſerint, aut non contradixerint*, & ideo irritationi ſuperiorum ſubduntur. At ipſa ſuperiorum vota nullam habent tacitam conditionem à ſua voluntate pendentem, ſed à voluntate ſuperiorum, ſi fortè ipſi alicui poteſtati dominativæ ſubduntur. Ergo non poſſunt ſua vota irritare, aut aliis irritanda committere. Sicut dominus poteſt irritare contractum de re ſua initum ab alio dependenter à ſua voluntate, ratione conditionis in illo imbibitæ, at proprios contractus reſcindere nequit, nec aliis reſcindendos committere. Nec eſt ſimile de poteſtate diſpenſandi, quia ea non competit ratione alicujus conditionis in votis, aut in aliis inferiorum actibus incluſæ. Et quamvis diſpenſatio ſit actus juriſdictionis cum ea non ſit contentioſa, ſed voluntaria, poteſt in ſeipſum exerceri. Ut probavi *ea diſputatione tertia, numero 6.*

61 Quando autem irritatio voti non valeat ex falſi expreſſione ſuperiori, aut ex veri taciturnitate, aut ratione erroris in voto preponendo, dicemus inferiùs tractantes de ſimilibus defectibus in diſpenſationis impetratione *cap. 47.* An verò ablato voto principali per irritationem, diſpenſationem, aut commutationem, cenſeatur ablata obligatio pœnæ, & illa valeant non explicato pœnæ voto, & eſſe debeat major cauſa ad diſpenſandum, majorque commutatio ratione pœnæ, & poſſit unum abſque altero tolli his modis, diximus *hoc lib. 4. cap. 22. num. 9.* & an impetrata diſpenſatione, commutatione, aut irritatione pœnæ, oporteat quoque narrare principalem voti materiam, diximus *ibi num. 21.*

CAPUT XXV.

De votis religioſorum, & aliorum ſubditorum dominativæ alterius poteſtati, qualiter valeant, & de votis Epiſcoporum, & beneficium Eccleſiaſticum habentium? Et an omnium horum vota obligent ad ea ſuperiori manifeſtanda, petendamque adimplendi licentiam?

SUMMARIUM.

Qui ſint ſubditi, quorum vota ex ſuperioris conſenſu pendent? num. 1.
Quotuplicia ſint ſubditorum opere? num. 2.
Quotuplex quæſtio diſputanda ſit; num. 3.
An vota ſubditorum dominativæ alterius poteſtati ſint irrita, ſi inconſulti ſuperioribus emittantur? Refertur duplex ſententia, num. 4. & 5.
Vota religioſorum, & aliorum ſubditorum de rebus non vetitis, valent ſtatim, & habent implicitam conditionem, niſi ſuperior contradicat, *num. 6.*
Quid, ſi ſecundùm perfectionem regulæ debent ea aperiri ſuperiori, & credatur fore, ut ſuperior contradicat; num. 7.
Quid, ſi vota ſint de rebus prohibitis huic ſubdito? Et qualem conditionem tunc imbibant; num. 8.
Quid, ſi prohibitio regulæ non ſit quo ad ſolum modum, ideſt, ut opus non fiat abſque licentia, ſed abſolutè, ne fiat? Refertur opinio, num. 9.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 10.
Quid, ſi ſolo ſuperioris præcepto ſit res illa abſolutè interdicta; num. 11.
Si tranſitus ad ſtrictiorem religionem eſt interdictus per Pontificem, qualiter votum illius obliget? Remiſſivè, num. 12.
Quid, ſi vota religioſorum, & aliorum ſubditorum ſint realia? Explicatur à nu. 13. uſque ad 16.
An ſufficiente taciturnitas, aut ratihabitio ſuperioris, ut vota de rebus vetitis poſſint à ſubditis impleri; num. 17.
An peccent ſubditi emittentes vota de his prohibitis, non impetrata priùs ſuperioris licentia; num. 18.
Quid, ſi animus ſubditorum eſſet ad ea implenda inconſulto ſuperiori ſe obligare; num. 19.
An peccet ſubditus votum irritatum implens; nu. 20.
An hæc vota de rebus prohibitis ſint dicenda omnino nulla ante ſuperioris conſenſum, vel ſi ſint de rebus licitis, ante ſuperioris contradictionem; num. 21.
Solvuntur argumenta: & explicatur c. Monacho 2. quæſtion. 4. *num. 22.*
Poſt num. 22. invenies alia ſummaria.

1 CUm *ſuperiori capite* egerimus in genere de ſuperioribus habentibus poteſtatem dominativam ad vota irritanda: in hoc capite eſt in genere agendum de ipſis ſubditis, an ratione ſubjectionis ſint ita impediti vouere, ut nulla eorum vota valere poſſint, aut licita eſſe, inconſultis ſuperioribus emiſſa. Dico autem *ratione ſubjectionis*: quia an impuberes defectu pleni judicii validè voveant, diximus *c. 18.* Subditos autem, quorum firmitas in votis dependet ex ſuperioris voluntate, conſentientis, aut non contradicentis, diximus *cap. præcedenti* eſſe Epiſcopos reſpectu Pontificis, & beneficium habentes, reſpectu Pontificis, aut Epiſcopi, quo ad vergentia in Eccleſiæ præjudicium, religioſos reſpectu ſuorum prælatorum, filios reſpectu parentum, uxores reſpectu virorum, ſervos reſpectu dominorum.

2 Antequam ad quæſtiones diſputandas accedamus, præmittere oportet, duplicia eſſe ſubditorum opera. Priora ſunt, in quibus non ſubjiciuntur imperio ſuperiorum. Et de his conſtat apud omnes poſſe à ſubditis, validè, & firmiter voueri, & eſſe abſoluta, nullamque imbibitam habentia conditionem, quæ à ſuperioris voluntate pendeat. Atque de his non agimes in præſenti: præterquam in Epiſcopis, & clericis beneficium habentibus: de aliis autem ſubditis erunt in ſequentibus quæſtiones ſpeciales. Poſteriora ſunt, in quibus imperio ſubjiciuntur, ita ut non ſint prorſus firma, niſi dependenter à ſuperioris voluntate, vota de illis emiſſa. Et hæc poſteriora ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt nullatenus per regulas, aut ſuperioris præceptum interdicta: alia autem ſunt interdicta. Atque hujuſmodi interdictum poteſt eſſe dupliciter, prius, quando ſolus modus interdicitur, ut ea abſque ſuperioris licentia fiant: poſterius, quando eſt abſoluta operum illorum prohibitio. Et de his poſterioribus operibus, ſive quando interdicta non ſunt, ſive quando interdicta, eſt in hoc capite diſputandum.

3 Triplex igitur eſt quæſtio diſputanda. Prima de votis religioſorum, & aliorum ſubditorum, circa opera in quibus ſubjiciuntur, ſiue interdicta ſint illis, ſiue non interdicta, an ſint prorſus irrita, aut qualiter valeant? Secunda, quando ſunt de operibus interdictis, an obligent ad ea ſuperioribus manifeſtanda, petendamque illa adimplendi licentiam? Ultima, de votis Epiſcoporum, & clericorum habentium eccleſiaſticum beneficium, qualiter obligent?

4 Quæſtio prima. An vota religioſorum, & aliorum ſubditorum dominativæ alicujus poteſtati, circa opera in quibus ſubjiciuntur, ſint irrita, ſi abſque ſuperioris licentia fiant, ſiue ſint de rebus illis interdictis, ſiue non interdictis? Qua in re quidam cenſent nulla religioſorum & impuberum vota eſſe valida, nec obligatoria, donec ſuperioris conſenſus accedat: & ita dicunt tam in votis de opere illo interdicto per regulam, aut ſuperiorem, quàm de non interdicto, intelligi conditionem affirmativam, *ſi ſuperior conſenſerit*. Ducuntur, quia religioſi, & impuberes non ſubduntur ſuperioribus quo ad ſolam materiam promiſſam, ut vel ſic ſufficiat ad votorum valorem de rebus non vetitis, ipſos non contradicere, ſed ſubduntur etiam quo ad voluntatem, qua vouent, cujus dominium eſt apud ſuperiorem. Ergo actus promittendi in talibus ſubditis, utpote qui eſt uſus voluntatis alienæ, non eſt Deo acceptus, nec obligationem inducit, donec ſuperior conſentiat. Nec enim Deo poteſt accepta eſſe diſpoſitio de re aliena abſque domini conſenſu. Secundò, quia ratio, qua communiter Doctores contrarii innituntur, ad aſſerendum in votis de re per regulam vetita, aut per ſuperiorem, deſiderari hunc conſenſum, nempe, quia donec ille accedat, tale opus non eſt virtuoſum, cum ſit contra regulam, & idcirco non eſt legitima voti materia, non concludit univerſaliter de omnibus religioſis, ut oportebat. Quia in multis religionibus regula non obligat ad peccatum, nec omnia ſuperioris præcepta in illis ad culpam, ac proinde tunc non deſinit ob eam prohibitionem actus eſſe virtuoſus formaliter. Sola enim ratio culpæ pugnat cum actu formaliter virtuoſo. Ergo ut univerſalis ſit ratio, eſt neceſſario confugiendum ad defectum dominii voluntatis in ſubdito, cujus votum ideò valere nequit, donec veri domini, nempe, ſuperioris conſenſus accedat. Quæ ratio cum inveniatur etiam in votis de re non interdicta, dicendum eſt ad horum quoque votorum valorem exigi conſenſum ſuperioris. Et ideò hanc partem ſuſtinet *Valentia 2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 6. columna 2. q. 1.* loquens de votis religioſorum: *& ead. columna 2. immediatè ante quæſtionem primam verſ. Hinc ſequitur*, dicit idem de votis impuberum: ſecùs autem de votis puberum, & uxorum. Quia impuberes ſubduntur parentibus, & tutoribus, non tantùm quo ad materiam promiſſam, ſed etiam quo ad voluntatem, qua vouent: puberes autem, & uxores quoad ſolam materiam promiſſam ſubduntur parentibus & viris.

5 Alii peculiariter circa religioſos dicunt, eis non licere aliquod votum abſque ſuperioris licentia emittere, quod ſi ſecùs faciat, vota eſſe irrita. Ducuntur primò ex *c. Monacho 2. q. 4.* quod eſt ex *D. Baſilio*, ibi: *Monacho non licet vovere ſine conſenſu Abbatis, ſi autem voverit frangendum erit*. Secundò, quia humana fragilitate, ac religionis oneribus benè ſpectatis, nulla poteſt addi noua obligatio abſque tranſgreſſionis periculo eorum, quæ regula præſcribit, ac eorum damno. Tertiò, quia profeſſio religionis eſt ejus naturæ, ut omnia vota antea emiſſa extinguat, *c. Scriptura, de voto*. Ergo impedit alia emitti. Quartò probatur idem de omnibus ſubditis. Quia *Divus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione octuageſimaoctava, articulo octavo*, ait ſubditos non poſſe ſe voto aſtringere firmiter in iis, in quibus dominatiuæ alterius poteſtati ſubſunt, abſque ejus conſenſu: eò quòd ſit votum de re aliena inconſulto domino. Tandem ex *toto c. 30. Numer.* ubi tunc filiæfamilias, & uxores reæ voti non impleti judicantur, quando pater, & maritus votum ſcientes non contradixerint, quaſi ex tunc adſit tacitus eorum conſenſus. Ergo ante hunc conſenſum non valebat votum. Et ideò hanc ſententiam loquentes de religioſis, tenentur *Hoſtienſis ſumma titulo de voto, §. Quis vovere poſſit, numero ſeptimo, verſic. Item nec votum, Ricardus 4. diſt. 38. art. 4. q. 1. Paludanus ibi quæſt. 3. art. 1. num. undecimo, concluſione 7.* ſolùmque tranſitus ad arctiorem religionem votum excipit. Et *ibi Major. quæſtione 4. dubio de iis qui vovere poſſunt, verſic. Tertiò religioſi*. Et ſtatim *in verſic. Quarta perſona*, docet idem de uxoribus, *Roſella in ſumm. verb. Votum 2. num. 14. Angelus verbo Votum 2. num. 3.*

6 Prima tamen concluſio ſit. Religioſi, & quivis alii ſubditi dominatiuæ alterius poteſtati poſſunt licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, quæ nec regula, nec ſuperiorum præcepto, eis interdicta ſunt, nec eos à debito illorum obſequio retrahunt: & talia vota ſtatim obligant, nullo exſpectato ſuperiorum conſenſu, donec ipſi executioni contradicant. Quare in hujuſmodi votis nequaquam includitur conditio affirmativa, *ſi ſuperior conſenſerit*, ſed negativa, *dum ſuperior non contradixerit*. Ratio eſt, quia cum ea materia nullo pacto ſit interdicta, & ſit bona, eſt apta voto emittendo, & quamdiu non interdicitur, eſt ſita in vouentium poteſtate. Ergo ejuſmodi vota ſunt licita, & meritoria, & ſtatim obligant, donec ſuperior contradicat. Et confirmatur, quia *c. Monacho 2. qu. 4.* non dicitur vota à religioſis emiſſa eſſe irrita, ſed frangenda, ideſt, irritanda. Ergo ante irritationem ſunt valida. Et ideò hanc ſuſtinent (quamvis enim ferè omnes de ſolis religioſis loquantur id evenit, eò quod in illis eſt ſpecialis difficultas, & in aliis ſubditis ferè nemo negat; ac in illis omnibus æquè militat ratio tradita.) *Innoc. c. Scriptura, numero 1. de voto, & ibi Joannes Andreas numero 4. Abbas numero 6. Antonius numer. 3. verſic. Secundo modo, Hoſtienſ. numero 7. Anchar. numero nono, Cardinalis numero ſecundo, quæſtione tertia, Ananias numer. ſeptimo, Henricus, numero tertio, Paludanus 4. diſtinct. trigeſima octava, quæſtione quarta, articulo ſecundo, num. vigeſimo quarto, & ibi Supplementum Gabrielis quæſtione prima, articulo quinto, poſt tertiam concluſionem, verſiculo Tertiò religioſi, Divus Antoninus, ſecunda quæſtione, titulo undecimo, capite ſecundo, §. ſexto, ad finem, Sylveſter verbo Votum 3. quæſtione tertia Cajetanus ſecunda ſecundæ, quæſtione octuageſima octava, articulo octavo, dubio primo, verſiculo, Et propterea, & in ſumma, verbo Votum, capite de quatuor conditionibus ex parte voventis §. Imperfectio autem ætatis, ubi de conditione ſubjectionis, Armilla in ſumma, verbo Votum, numero octavo, & nono, in fine, Tabiena verbo Votum 4. quæſtione quarta, numero quinto, Abulenſis cap. trigeſimo, Num. quæſtione ſeptuageſima ſecunda, Sotus libro ſeptimo de juſtitia, quæſtione tertia, articulo primo, dubio tertio, columna ſeptima, verſic. Huic autem opinioni, & ſequentibus, Navarrus ſumma Latina, & Hiſpana capite duodecimo, numero 67. & ſexageſimo nono, Ovandus 4. diſtinct. trigeſimaoctava, diſputatione unica, in propoſitione 20. Alcozer ſumma, capite decimoſexto, ubi de effectu irritationis, concluſione 1. fol. 54. pag. 2. Angles floribus 2. parte quæſt. unica de voto, artic. ſeptimo, difficultate 2. concluſione 2. Aragon. ſecunda ſecundæ, quæſtione octuageſima octava, articulo octavo, dubio primo, concluſione ſecunda, Toledo libro quarto ſummæ, capite decimo octavo, numero 9. Metina libro 1. ſummæ cap. 14. §. 6. folio 87. Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. capite 7. dubio primo, in tribus prioribus dictis, Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo 1. parte 2. libro 3. cap. 18. verſic. Undecimò peccat, Vega 2. tomo ſummæ c. 129. caſu 90. Corradus in ſuis reſponſis caſuum 1. parte q. in q. 301. Azor. tomo 1. inſtitutionum moral. lib. 11. cap. 16. q. 4. 5. & 6. Ludovicus Lopez 1. parte inſtructorii conſcientiæ, capite 48. col. 3. verſic. Vota religioſorum, Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, libro 3. capite 5. à numero 3. uſque ad finem, Manuel 2. tomo ſummæ cap. 89. num. 3. Leonardus libro 2. de juſtitia capite 40. dubio 10. num. 71. Sayro in clavi regia libro 6. cap. 15. nu. 22.* Et loquens de impuberibus docet optimè *Divus Thom. 2. 2. q. octuageſima octava, artic. nono, in fine corporis*. Atque *Suarez* loco allegato expreſsè loquitur de religioſis, & quibuſcumque aliis ſubditis.

7 Nec ſatis eſt, ut hujuſmodi vota non obligent, dum ſuperior non contradicit, fore ut contradiceret, ſi voti conſcius eſſet, & quamvis ſubditus imperfectè ageret contra regulam jubentem omnia vota aperiri ſuperiori, ſi id non aperiat, obligat adhuc votum. Quia etſi imperfectio illa in actu vouendi inſcio ſuperiore, aut in non aperiendo illud, committatur, nulla tamen adeſt in voti executione, nec ad imperfectionem illam obligat. Nec voluntas illa ſuperioris præſumpta ad contradicendum executioni voti eſt ſatis. Quia dum de facto non contradicit, non eſt ablatum votum, nec materia interdicta. Sic docet *Suarez eodem libro 3. cap. 6. num. 8. juncto num. 5. ad finem*.

8 Secunda concluſio. Si vota horum ſubditorum ſint de rebus, quæ in ſuis conſtitutionibus, aut præcepto prælati interdictæ ſunt, non ſunt ſtatim valida, nec obligantia donec ſuperior conſenſum præſtiterit: quare in hujuſmodi votis intelligitur conditio affirmativa, *ſi ſuperior conſenſerit*. Verbi gratia, religioſus vouit peregrinationem, cum tamen abſque licentia clauſtro egredi nequeat, aut vouit aliqua abſtinentiæ opera, quæ fieri inconſulto ſuperiore regula vetat, ea vota non obligant, donec ſuperior facultatem concedat. Ratio eſt, quia cum materia ſit interdicta, non eſt apta voti materia, donec accedat ſuperioris licentia ad illam implendam, illo autem accedente eſt licita. Ergo uſque tunc non obligant, at ex tunc obligabunt. Et ideò hanc tuentur *Innocentius, Joannes Andreas, Antonius, Abbas, Hoſtienſis, Ancharanus, Cardinalis, Ananias, Henricus, Cajetanus in ſumma, & articulo octavo, dubio primo, verſiculo Ad evidentiam hujus, Abulenſis, Sotus eadem columm. 7. verſic. Ad ſenſum igitur, Sylveſter, Tabiena, Navarrus numero 67. Ovandus, Armilla numero ſeptimo, Alcozer, Toledo, Angles concluſione 1. Aragon. concluſione 1. Leonardus numero 72. Azor. quæſtione ſexta, Petrus de Ledeſma dicto 4. Ludovicus Lopez, Sayro, numero vigeſimo, Manuel*, ubi *numero ſexto* eos allegavi, *Suarez tomo ſecundo de religione, tractatu de voto libro 3. cap. ſexto, numero nono*.

9 Sed dubium eſt, an concluſio hæc intelligatur de ſolis rebus, quæ non abſolutè interdicuntur in regula, ſed quo ad ſolum modum, quia, nimirum, interdicit eas res abſque licentia fieri? Et quidem Doctores *num. præced.* relati videntur de interdictis utroque modo intelligendi, cum abſolutè loquantur de interdictis. Atque conſtat eos non intelligere de interdictis, eò quòd ſint mala, aut de interdictis lege aliqua Eccleſiaſtica: quia neutra poſſunt eſſe apta voti materia. Ergo intelligunt de interdictis per regulam, aut ſuperioris præceptum. Et *Sotus libro ſeptimo de juſtitia, quæſtione tertia, articulo primo; columna ſeptima verſic. Ad ſen-*